





Matthæi
XL
HOFM.
KIRCH
II
6
567









XL
HOFM in
Apocal.



Expul Silesiis Pietas errabat in oris,
Mysticaq́ Uranie Melpomeneq́ Sacra.
Agnita vix ulli Divarum lumina, cessat
Elysium postquam Silesia esse solum.
Agnosci ut possent, facie voluêre referri
HOFMANNI, expressæ hôc Aureæ in ære Deæ.

Liesia f.
M. Valentinus Alberti, Lehnensis
Silesius, Metaph. et Log. P. P.

CHRONOTAXI APOCALYPTICA, VISIONIBUS APOCALYPTICIS CERTAS TEMPORUM PERIODOS ASSIGNANS;

Asſignatas è Textu, Locisque parallelis eruens, ac probans;

Probatis Fata Eccleſiæ applicans;

Adeoque

Viam ad genuinum totius Apocalypſeos Senſum oſtendens.

Studio

Viri

Reverendi plurimùm, & per-eruditi

DN. MATTHAEI HOFMANNI, MACHAEROPOEI dicti, Primi apud Svidnicienſ. in Sileſ. invar. Conf. Aug. ad SS. Trinit. Ædem, Primariique Paſtoris, nec non Inſpectoris, concinnata,


&

Totius Eccleſiæ bono, ab Hæredibus publicata.

Additus eſt Index duplex.



JENAE,
Proſtat apud JOHANNEM BIELCKIUM, Bibliopol. Anno 1668.





I. N. J.

Amico Lectori Salutem!

FLores in hortis, Amice Lector, & Eruditorum Virorum Scripta, ob diversas, elegantes æque ac utiles caussas, maximè ob sortem utriusque communem, æquiparari invicem posse, haud ambiges. Flores scilicet perplures carè non minùs, quàm probè culti, suis quidem in altum assurgunt cauliculis, nec non ad culroris desiderium oscitantes jamjam se ostendunt; repentino autem casu, ita

languere incipiunt, ut vix unum alterumve, imò nullum ferant folium, sed exarescant prorsùs & decidant. Scripta item Eruditorum permulta, magno temporis & laboris pretio conquisita, eleganti quidem & prolixâ serie sub manibus Autorum accrescunt, imò ex eorundem voto, uno ut ita scribamus, quasi oculo in publicum jam tum prospiciunt: inopino verò, Autorum præsertim, casu, ita deficiunt, ut ægrè tot Capita exhibeant, quot debebant Volumina, quin & sæpissimè tota intercidant. Possemus hujus rei Exempla ferè innumera sistere: nisi tot ex imperfectis & posthu-

humis Clarorum Virorum Operibus penes quemlibet largam eorum copiam sciremus. Clamant ista, quod diximus: clamabit & præsens, quod offertur Tibi, ubi iis conjunxeris.

APOCALYPSIS quippe JOHANNEA divinum illud in Ecclesiâ Novi Testamenti prognosticon, precibus & studiis Viri olim Reverendi plurimum & per-eruditi, DN. MATTHAEI HOFMANNI, Machæropœi dicti, primi ad Aedem SS. Trinit. in SvidnicIensium suburbio, ex invariatæ Aug. Confess. Pastoribus, Primariique, nec non Inspectoris Vigilantissimi, per multos abhinc annos inter

inter labores verè concatenatos, arthritidisque creberrimos dolores, tentata, eo, quem vides, ordine incrementa ſumebat: brevi, floris inſtar, in agro Domini, ex intentione ἐυφήμου, ſequenti Titulo proditura.

CHRONOTAXIS
APOCALYPTICA,

„Singulis Viſionibus Apocalypticis certas Temporum Periodos aſſignans;
„Aſſignatas è Textu, aliisque locis parallelis eruens, ac probans;
„Probatis Fata Eccleſiæ præterita, præſentia, & futura applicans:
„Adeoq; totius Apocalypſeos Johan-

neæ

néæ Explicationem tam dilucidè proponens,

Ut cuivis æquo & judicioſo Lectori appareat,

Hunc eſſe genuinum iſtius Libri Senſum à mente Revelantis intentum.

Et fortè quod nomine promiſiſſet, reipsâ etiam datura, niſi mortem Cultoris ſui paſſa fuiſſet. Occubuit enim, Deo noſtro ſic diſponente, dictus jam & B. Hofmannus, quarto Anni hujus Sexageſimi ſeptimi, ſupra Milleſimum ſexcenteſimum, die: & ex quo hoc contigit, decrevit ſimul ejusdem hoc Opuſculum, ut ſuo cedere Titulo, & non niſi mancum prodire coga-

)( )(tur

tur. Lugent inde omnes fermè, quibus modò Labor iste constitit; ceu qui ex eo, tùm aliis, ad sacra hæc Adyta aditum, aurem ad Tubicinia, oculum ad Visiones, manum ad Sigilla Apocalyptica pollicebantur. Lugent dicimus: & non mordent. Utut enim præconceptam hanc spem quadantenus interruptam sciant; nulli tamen dubitamus, quin eo momento, quo Opera hæc, imperfecta licet, primum eorum oculis occurret, pro candore suo infucato, B. Autoris memoriam secum sint repetituri, & inventis haud exiguam gratiam daturi. Namque ut Arbores in terra:

ita

ita benè meritos in animis gratorum altas radicees agere novimus. EJUSDEM Affectus erga inchoatum hunc laborem & TE futurum, ex AMICO Titulo, quo compellaris à nobis, LECTOR, firmitèr ſperamus. Vix negabis, marcidos etiâ Flores quandoq; in hortulo tuo locum inveniſſe; quî ergo omnẽ huic in Bibliotheculâ tua invidere, vel denegare poſſes, haud videmus. Ut autem eò pronior ad hoc exiſtas, tribus adhuc verbis aperiemus; quis Scopus Autori Scriptũ hoc meditanti fuerit, & quæ cauſa Nobis publicantibus. Fuit nimirum Beato ſcopus, nec turpe ex impresſio-

ne & dedicatione lucrum; nec ſuper-
ciliosſus alios, interdum non ſat dex-
tros interpretes, proſtituendi pruri-
tus: ſed publicum Eccleſiæ emolu-
mentum. Αὐτάρκης enim non minus, quâm
ταπεινόφρων, ſuâ & opum & honorum por-
tiunculâ contentum eſſe, nec non u-
numquemlibet ſuo relinquere æſti-
mio, probè didicerat. Rem tracta-
bat: non Perſonas. Hinc, ut ipſe vide-
bis, Patronum potiùs aliorum egit,
quàm Momum; imò haud raro can-
didum Encomiaſten. E contrario,
ſui erga Eccleſiam debiti benè me-
mor, non particularis modò, cui a-
pud Svidnicienſes in Sileſiâ noſtrâ in-
fe-

feriori præ erat ; ſed Univerſalis commodum, arduo hoc ſuo, & multorum annorum labore, intendebat. Fuit & Nobis cauſa, nec præſumtio, nec quæpiam alia veſania: ſed, præter dictum μακαρίου Scopum, ultima ejusdem Voluntas.

Divinâ enim gratia, usque ad poſtremum ἀναλύσεως ſuæ momentum, rationis & linguæ benè compos, cæteris monitis, quæ NOBILISSIMAE Conjugi ſapienter dederat, pro maritali imperio & hoc annexuit: ut, quicquid hujus Laboris in Manuſcriptis occurreret, totius Eccleſiæ bono, publici juris fieret. Horum verborum

ob-

obſervantia, ceu grandi ſtimulo, allecti, præſentis Libelli copiam TIBI offerimus. Sumtibus proſtabit exiguis, hinc ut iis non parcas quæſumus: parcas autem Theoninis dentibus. Labor, quamvis non expeditus, probus tamen eſt, & utilis: ſcopum igitur ut ſuum penes TE obtineat, cura. Cauſa item noſtra haud illegitima: dignare ergò eam Tuo, & quidem æquo judicio. His, BENEVOLE LECTOR, VALE in Domino: & amiciſsimè à Nobis SALVE. Quod ſi autem, præter tot petita, & mens & oculi tui adhuc quippiam ferunt, ſequens no-

noſtrum ultimum attendere ne graveris: nempe, Meditare, quæ accipis: quæ deſunt, ſcrutare. Multum enim futuris temporibus Eccleſiæ intererit, noſſe genuinum APOCALYPSEOS Senſum!

Dab. Haynov. Sileſ. prid. Calend. Octobr. Anno redemti Orbis per Agnum, 1667.

VIDUA
&
HAEREDES.



Σὺν τῷ Θεῷ παλάμῃ!

CHRONOTAXIS APOCALYPTICA.

CAPUT PRIMUM

Causas hactenus non Reseratæ Apocalypseos, & Autoris Propositum, exponit.



Multorum, etiam Præclarorum Virorum, Ingenia obscuritate suâ fatigavit Apocalypsis. Hinc nobis tot nati sunt Commentarii & expositiones; nec tamen desiderio Omnium hactenus satisfactum est. Plures quippe pulsarunt hoc Ostium occlusum, sed Nemini datum est aperire; paucis, quasi per fenestram quandam, tantùm introspicere licuit. Unde quanquam haud pauca jam sint enucleata, multò tamen plura adhuc restant enodanda, & plurima ubique adhuc occurrit obscuritas. Notari enim possunt, quæ vel Interpretes sicco pede prætererunt; vel levi tantùm tractârunt brachio; vel longè aliter ac genuinus Literæ sensus, cum mente Revelantis congruens, requirebat, interpretati sunt. Ut non incongruè huc accommodari possit illud, quod *Rabbi Samuel Ben Juda, Valerius de Commentatoribus* in Danielem Prophetam, scribit: *Iis qui hactenus conati sunt ad fundum huius Revelationis pertin* *Comment. in Dan. Cap. 9.*

tingere, idem accidit, quod olim Sodomitis, ut nempè tenebricosâ vertigine percussi, ostium invenire nequiverint.

Ignoscant quæso Mihi Viri Eruditi, quòd hoc tam audacter asserere andeam! Non enim solus sic sentio; sed multorum hæc est communis querela. Legat aliquis, obsecro, & relegat aliquot *Capita Apocalypseos*: non dubito, si interrogandus foret, num intelligeret, quæ legeret, quin (modò verùm ingenuè fateatur) responsurus sit cum Evnucho Reginæ Candaces ex Æthiopiâ: *quî possim, cùm nemo sit qui interpretetur*? Adeat deinde *Commentatores*, & aliquot eorum evolvat & consulat; in quodvis pignus audebo certare, nisi multò incertior recedet, atque accesserat dudum: si scilicet Rem exactè pensitaverit ipse, nec Autoritate Scribentium se fascinari patietur. Nec hoc tantùm quibusdam Literatis ex trivio, qui Studia à limine saltim salutârunt, continget: sed etiam Doctioribus illis, qui Artium omnium adyta, & scientiarum myrothecia perreptârunt, eveniet. Argumento poterit esse dissensus Præstantissimorum Autorum, qui circa hunc Librum in explicando occupati fuêre: ubi Priores non satis facere potuerunt Posterioribus, nec Posteriores sibimet ipsis, nedum Aliis. Hoc ita cùm se habeat, mirari haud immeritò quis posset, quid causæ subsit, quòd in tantâ luce Literarum, in tantâ copiâ Virorum Illustrium, quibus nec Eruditio, nec Experientia, neque Dexteritas, neque Studium, neque voluntas, nec Conatus denique defuerunt, post tot à scriptione hujus Libri Secula effluxa, & post tot Vaticinia adimpleta, Nemo repertus sit, qui Prophetiæ hujus sensum ita exactè proponere potuerit, ut *totius operis Harmonia*, & *subsequens Eventus* Veritatem Interpretationis confirmaret.

Causæ hactenus non explicatæ Apocalypseos.

Plures jam Anni elapsi sunt, ex quo seriò hac de re cogitare, & in obstacula, quæ Interpretibus remoræ fuerunt, paulò diligentiùs inquirere cæpi.

οἰκονομία Sapientiæ divinæ

Agnosco autem hîc præprimis *admirabilem & profundam Sapientiæ divinæ* οἰκονομίαν, quæ non ἀθρόως, seu simul & semel, sed sensim & gradatim abscondita revelare solet, & AuroramSolem præcedere jubet. Huic forsitan placuit, nondum plenariam hujus Vaticinii intelligentiam suis Fidelibus communicare; sed etiam piis & Doctis nonnihil absconditum esse voluit, suo tempore revelandum, quò

quò Scripturas Sacras, & in his hanc etiam Prophetiam ardentiùs scrutaremur, & clariorem explanationem à Deo flagitaremus. Cujus etiam hac in parte major illucescit Gloria. Si enim vera Expositio horum ænigmatum cuivis Literatiori illicò obviam facta fuisset, illam forsitan Eruditioni & Dexteritati Exponentis in acceptis tulissemus, Deumque suâ gloriâ, quantum in Nobis situm, spoliassemus. Nunc verò, cùm tot & tanti aberraverint, & penè impossibilis explicatu judicata sit Apocalypsis, ad oculum patescit, *solius Dei esse* פִּתְרֹנִים *solutiones, seu interpretationem*; *nullamq; Prophetiam Scripturæ esse* ἰδίας ἐπιλύσεως; sed per eundem Spiritum, cujus immediato afflatu & inspiratione primitùs conscripta est, etiam hodiè esse explicandam, licet id fiat *mediatè*. Nisi enim Deus mentem Interpretis lumine suo gratioso collustret, omnis in vanum recidit conatus, etiamsi quis mediis interpretandi fuerit instructissimus. *Ipse enim revelat profunda & abscondita, & novit in tenebris constituta, & lux cum eo est. Mens verò Hominis*, ut ait Lactantius, *tenebricoso corporis domicilio circumsepta, longè à Veri perfectione summota est: unde nobis aliquo lumine opus est, ad depellendas tenebras, quibus offusa est Hominis cogitatio: &c.* Illud verò Lumen Deus largitur. Largitur autem id pro beneplacito suo, & dona sua benignissimus dator variè distribuit; neque omnia omnibus adjicit, sed hunc hoc, alium alio exornat munere. Sic *dedit Deus quidem scientiam & disciplinam in omni libro & sapientiâ, Sociis Danielis*: ipsi autem Danieli *intelligentiam omnium Visionum & Somniorum.* Nam *unicuique datur manifestatio Spiritûs ad utilitatem: alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ: alii autem sermo scientiæ, secundùm eundem Spiritum: alii fides in eodem Spiritu: alii operatio Virtutum: alii Prophetia: alii discretio Spirituum: alii genera linguarum: alii interpretatio sermonum*; juxta doctrinam B. Apostoli *Pauli*. Quid igitur mirum, si Deus solutionem horum Arcanorum aliis Personis, aliisque Tempori pro lubitu suo reservavit? *Ultimis* enim *Temporibus* hæc facta est promissio, *ut Liber obsignatus, & clausi sermones aperiantur, & scientia multiplicetur*; nam clausi signatique sermones dicuntur *usq; ad Præfinitum tempus.*

Genes. XL. 9 v. 8. *II. Petr. 1, 20.* *Dan. II, 22.* *Lib. de irâ Dei, c. I.* Dan. I, 17. I. Cor. XII, 8. 9. 10. Dan. XII, 49.

Attulit igitur *Tempus* ipsum haud mediocre impedimentum In- *Tempus.*

terpretibus; præsertim seculis superioribus viventibus. *Omnes enim Prophetiæ*, ut loquitur Irenæus, *priusquam habeant efficaciam, ænigmata & ambiguitas sunt hominibus: cùm autem venerit tempus, & evenit, quod prophetatum est, tunc Prophetiæ habent liquidam & certam expositionem.* Ita est. Cum enim Futura in nullo sunt sensu, etiam intellecta non tàm intelliguntur, quàm sperantur; præsertim si paucissimis, aut planè nullis vestita sint circumstantiis. Exemplo poterit esse *Somnium Josephi de Sole, Lunâ, & undecim Stellis, ipsum adorantibus.* Facilè ex hoc pius senex Jacobus divinabat Josephum in eam dignitatem evectum iri, ut & à Patre, & Matre, ac Fratribus adorandus esset. Sed quia Modum ignorabat, licèt luculentissimè intelligeret, quid sibi hoc somnium vellet, rectèque per Solem, Patrem; per Lunam, Matrem; per undecim Stellas, Fratres totidem; per Adorationem, civilem illum honorem Magnatibus exhibendum designari judicaret: vix tamen illud ipsum quod intellexit, intellexit. Unde etiam Filium durè increpat. Quod si Jacobus vix capiebat tale Vaticinium, cujus Personæ, de quibus loquebatur & quos attinebat, omnes in vivis erant, & Jacobo quàm notissimæ: quid futurum fuisset, si de ignotis, aut post multa demum secula oriundis somnium admonuisset? Sic Patribus, & superiorum seculorum Theologis necessariò obscurior fuit Apocalypsis. Nam tum temporis nondum Omnes Personæ hanc *Tragico-Comœdiam*, quam delineat Apocalypsis, acturæ, in medium prodierant; aut, si prodierant, nondum pro talibus, quales reverà sunt, habebantur: earumque detectio Nostris debebatur temporibus. Sanè, insignis illa Majorum nostrorum memoriâ facta Reformatio, & Papalis Tyrannidis in apricum productio, non exiguam lucem huic Prophetiæ alluxerunt, Nobisque viam ad hæc Arcana penetrandi planiorem, & minùs salebrosam reddiderunt. *Et quò propiùs ad Mundi finem accedimus, eò faciliùs sensum hujus Vaticinii eruere poterimus.*

lib. 4. adv. hæres. c. 43.

Gen. XXXVII.

Culpa Autorum. Non autem propterea *hallucinationes Interpretum* prorsùs excuso. Poterant multa, præsertim *Præterita*, feliciùs explicare, & penitiùs ad fundum horum Mysteriorum penetrare, nisi propriâ culpa lapsi essent. Qui quidem non uno eodemque modo peccarunt: variant enim Autores, & pro diversitate Autorum, diversi etiam occurrunt lapsus.

Sunt

Sunt nonnulli, quos stulta *Arrogantia*, & nescio quis raptus in theatrum produxit; qui, dum de his mysteriis ne γρῦ quidem intelligerent, ut tamen viderentur soli omnia intelligere, nil nisi Ænigmata, & ex confictis ipso sono horrendis & barbaris vocabulis consarcinatas sententias protulerunt. Ut si vel unius Periodi sensum assequi velis, Oedipo conjectore, & Sibyllâ interprete opus habeas. Cujusmodi libelli aliquot, ceu singulare arcanum, & venerandum Mysteriis scatens sacrum, mihi ad legendum missi sunt: quos tamen Ego ne cassâ quidem nuce dignos æstimavi. Meras enim offundebant tenebras, ut à Spiritu tenebrarum profectas esse, facillimè conjiceres. *Arrogans futilitas.*

Vix leniorem merentur Censuram, qui μετάβασιν εἰς ἄλλο γένος commiserunt, & res peregrinas, à scopo hujus Libri planè alienas ex Apocalypsi demonstrare conati sunt. Qualis est *ille*, quem pro merito castigat Vir Illustris *Josephus Scaliger*: *qui*, ut ille refert, *se infinitos errores Livii, Svetonii, & aliorum Historicorum, ex Apocalypsi deprehendisse, ex animi sententiâ jurabat, deque Olympiadibus Græcorum, ex Daniele, & Apocalypsi, judicium ferri volebat, adeoq; ex his solis duobus Autoribus, Opus Chronologicum, neglectis Scriptoribus exoticis, extrui posse affirmabat.* Quis crederet Mortalia pectora tantum noctis habere, & Literatorum etiam cerebrum non rarò indigere helleboro? Fateor; à risu temperare non potui, cùm id legerem! Quid enim *Apocalypsi* cum *Livio*, *aut Svetonio*? quid cum *Chronologiâ*? Daniel equidem aliquid ad Chronologiam conferre potest; non itidem Apocalypsis. Continetur quidem in Apocalypsi insignis quædam & *peculiaris Chronologia*, sed non talis, qualem isti somniârunt. Hanc enim si odorati fuissent, non jam opus foret operâ meâ. Tantum autem abest, ut Chronologicum opus ex Apocalypsi confici possit, ut ne Annos quidem expressis numeris in Apocalypsi notatos, in suâ sede rectè collocare possimus, nisi opem Historicorum & Chronologorum imploraverimus. Apocalypsis quippe, quæ fieri debent annotat: Historici, quæ facta sunt, referunt. Illa tempus describit, quando futura sint prædicta; Chronologi, quando hoc vel illud factum sit, demonstrant. Exemplis quæ dixi comprobare possem: sed nihil causæ video cur in gratiam ejusmodi nugivendulorum chartâ, & patientiâ Lectoris abuti debeam. Nemo sanè sci- *Μετάβασις εἰς ἄλλο γένος. Isag. Chronol. Can. proleg.*

perfectum Chronologum evasurum speret, nisi omnium Exoticorum omnis generis Scriptorum libros versaverit, & ex illorum assiduo tractatu aliquem usum multiplicis doctrinæ sibi comparaverit, simulque Astronomiæ sit peritissimus. Apocalypsis autem ad eam rem vix quicquam symboli conferet. Id quod Doctissimus Chronologus, *Sethus Calvisius* & Acutissimus *Scaliger* jamdudum monuerunt. Facessant igitur hinc ejusmodi nugatores cum suis næniis.

Oper. Chronolog. proœm. p. 2. loc. supr. cit.

Fanatica Opinio.

His tamen pejores sunt illi, qui ad *Fanaticas opiniones*, & delira cerebri non sani figmenta stabilienda, egregiâ hac Prophetiâ abusi sunt. Cujusmodi est *Sutoris* illius famosi sutela, in quâ οὐδὲν ὑγιές: quam tamen à quibusdam Viris non contemnendæ Eruditionis magni fieri valde miror. Quem, sive præcesserunt, sive subsecuti sunt, *Schvvencfeldii*, & *VVeigelii* asseclæ, egregiè imitati sunt: & tantam huic libro inusserunt notam, ut prudentiores vix Titulum absque nauseâ possint audire. Id quod summoperè doleo. Sed quid novi, si muscerda piperi assimilari eique misceri gestiat? Abusus rei, ne tollat, obsecro, illius usum: & impura hæreticorum contrectatio ne noceat merci, auro omni, & gemmis omnibus contrà caræ.

Studium Partium.

Hos subsequuntur, quos vel *Studium Partium*, vel, quod pejus, *Veritatis odium*, in errores præcipites dedit: qui sensum huic libro maluerunt inferre, quàm Veritatem ex eo sedulâ meditatione efferre. Basiatores Romanæ Thaidis dico; qui, ne mysteria iniquitatis detegantur, manibus pedibusque, quod ajunt, obsistunt, variisque offuciis & corruptelis apertissima quæque obscurare conantur. Mirum autem est, quòd rasa cohors ista ausa fuerit hæc Sacra impurâ suâ manu contrectare; cùm tamen ejus Idolomania in quovis fermè capite vivis depingatur coloribus, & Roma, quam adeò diligunt, expressè Christo, ejusque ministris adversa, pronuncietur, ideoque à Christo tandem judicanda & perdenda in scenam producatur. Sed obfirmanda frons est, & Veritas obfuscanda; ne se tactos esse alii sentiant! Hos sanè, cùm datâ operâ & voluntariò aberrent, ne ipsa quidem Sapientia in viam reducere posset, etiamsi seriò vellet.

Heterodoxia.

Proximi his sunt, quos ἑτεροδοξία aliqua in transversum rapuit. Hæc enim uti Tenebris comparanda venit, ita etiam oculis Mentis non rarò officit, ut Solis fulgor in meridie pro tenebris habeatur.

Exemplo poterit esse *Scriptor quidam*, qui cùm realem Corporis Christi præsentiam in S. Cœnâ haud crederet, nec, Majestatem Carni Christi communicatam esse, mente concipere posset, non veritus est asserere, *Lutheranas Ecclesias* propter ista dogmata à Spiritu S. in Apocalypsi esse reprehensas. Ita scilicet error errorem traxit.

Non quidem horum labores in totum reiiciendi sunt, licèt errores incrustatos meritò respuamus. Reperiuntur enim inter illos Viri Eruditione insignes, qui multis salubribus monitis, & pulcherrimis doctrinis scripta sua exornârunt. Nec adeò infelices ubique egerunt Interpretes, ut semper à scopo aberrarent, & nihil utilitatis Explicationi hujus Vaticinii adferrent. Lubens enim fateor, Me etiam ab his nonnunquam, licet raro, adjutum fuisse. Sed quò minus ad veritatem Illi pertingerent, & hujus vaticinii nucleum gustarent, obstitit inter alia etiam ista, quam notavi, ἑτεροδοξία.

Quid autem dicam de *Affectibus*, Amore & Odio, Veritatis hostibus infensissimis? hi sanè non raro crassissimam huic Libro nebulam offuderunt. Cùm infelix illa Defenestratio (ut sic cum non nemine loqui liceat) Pragensis, incendium, quo penè tota conflagravit Germania, & quod multo tandem sanguine, maximo cum detrimento Ecclesiæ, vix restinctum est, excitasset, Electorque Palatinus in Bohemiæ Regem electus esset; non defuerunt, qui Actum hunc jam dudum à Sp. Sancto in Apocalypsi prædictum fuisse assererent: & hinc, admirandam Ecclesiæ Christi in publicum reproductionem, Regni Pontificii abolitionem, ipsius Romani Pontificis cum suis Promachis, finalem & plenariam destructionem, magno hiatu promitterent. Sed eventus docuit, istam explicationem non ex Apocalypsi erutam, sed ex Affectu prognatam fuisse. Multorum certò calamus ad hunc viscum hæsit! Favit quis impensiùs *Sveco*; illicò multas illi victorias promisit ex Apocalypsi. Faventior quis fuit *Cæsari*; ejus potestatem ac Majestatem usque ad finem Mundi illæsam fore, ab eòque Græcorum Imperium recuperatum iri, ex Apocalypsi & Daniele, ominatus est. Odio quis habuit *Papam*; (quem quidem nunquam satis odisse possumus; sed absque jacturâ Veritatis) Omnia quæ in Apocalypsi occurrerunt, huic invidiosè applicavit, & ἀμετρίᾳ peccavit. Sic scilicet sibi ipsis somnia fin-

Affectus.

fingunt Amantes! & quæ volumus , aut improbè desideramus, prædicta esse credimus! Interim autem patitur Veritas, cui ejusmodi nugis non parùm præjudicatur.

Multitudo Scribentium.

Et fortasse dudum etiam feliciores nacta fuisset Interpretes Apocalypsis, nisi ubique tanta *seges* in hunc Librum *Scribentium* sese offerret. Aut enim exosa reddita est, propter tot βδελύγματα Autorum; & aberrationes Commentatorum Libro imputatæ sunt, ceu iste aptus esset gignere fanaticos: & hinc multi illustres Viri, ne quid de hoc explicando cogitarent, deterriti sunt. Aut *Scribentium Autoritas* aliis fuit præjudicio; ut vel ex Amore erga illos, eorum placita, sine ulteriori disquisitione, amplecterentur; vel ex præpostero metu, ne illos offenderent, à communi & multis receptâ sententiâ discedere vererentur; vel denique cùm tales & tantos lapsos fuisse deprehenderent, de verâ explanatione penitùs desperarent. Unde hodiè duram suscipit provinciam, qui in hanc prophetiam aliquid commentari audet. Nam vel fanaticus, vel arrogans, vel exscriptor præsumitur; præsertim si sit Vir humilioris & obscuræ conditionis,

Id quod etiam Mihi forsan Tuus, *Amice Lector*, objicit Animus. Non ignoras enim viros autoritate graves , Eruditione insignes, & qui nullâ ἑτεροδοξίας labe notati sunt, hunc Librum scholiis, notis, paraphrasi, & justis Commentariis illustrasse; quorum diligentiam à meâ tenuitate superari posse, Tibi vix persvadebis. Dura, ita me Christus amet! Objectio. Sed scito, me istorum Heroum labores pronum adorare, eosque æternâ laude dignos esse statuere: primùm quod ausi fuerint, quantum in ipsis fuit has obscuritates explicare; deinde quòd sedulo caverint, ne quid contra ἀναλογίαν fidei peccaretur; & denique quòd fidei Articulos ex hoc Vaticinio feliciter eruerint; & ita hunc librum etiam πρὸς διδασκαλίαν, καὶ ἔλεγχον, πρὸς ἐπανόρθωσιν, καὶ πρὸς παιδείαν τὴν ἐν δικαιοσύνῃ ὠφέλιμον εἶναι, ad oculum, elicitis multis saluberrimis Doctrinis, ostenderint. Et ita eorum labores jure meritoq; grato acceptandos esse animo, utpote qui multum utilitatis Ecclesiæ Christi possint adferre, absque hypocrisi judico. Sed cum Isti sibimet ipsis non satisfecisse ultrò confiteantur, contenti etiam fuerint, sensum probabilem, & qui in ἀναλογίαν fidei haud impingeret, protulisse; quæstio verò sit, non de

sensu

ſenſu probabili & opinativo, ſed de ſenſu genuino, cum mente Dei congruente,& qui ratione principii ſit divinus, quem non hactenus ubique (*ubique* inquam: nam Doctrinalia quod attinet, à multis jam omne confectum eſt negotium) erutum eſſe, omnes fateri coguntur: nullam iſtorum ſcriptis injuriam fieri cenſeo, ſi de hoc indagando ſim ſollicitus: Valet enim hic illud tritum; *Amicus Plato, Amicus Socrates; magis tamen amica Veritas.*

Quòd autem laudati iſti Autores,eam, quam deſideramus ἀκρίβειαν, haud obtinuerunt: in cauſa eſt,quòd ad *Scopum* hujus Libri primarium, ad quem tamen ſingula,maxima & minima erant referenda, ſæpè non ſatis attenderunt. Interdum etiam ex *Hypotheſibus* non conceſſis, nec tamen firmiter probatis diſputârunt. Præterea etiam nonnunquam *præconceptis Opinionibus* & præjudiciis aliquid dederunt. Id quod Exemplis ad oculum poſſet oſtendi, ſi aliorum labores atro notare calculo nobis eſſet volupe. Proinde quænam illæ ſint Opiniones, jam non dico; quia non lubet Viros Autoritate inſignes, quibus literatus Orbis jamdudum immortalitatem nominis decrevit, ad tribunal abſque neceſſitate citare. Suo tamen loco, ubi neceſſitas, & veritatis amor requiret, proferentur, preſſis tamen Autorum Nominibus, ſic ſentientium. Hoc ſaltèm nunc moneo, vix quenquam ad explicandum hunc librum animum appuliſſe, qui non ſtatuerit, penè omnia jam eſſe adimpleta, nihilque aut, ſi quid ſit, exiguum tamen eſſe, adhuc implendum reſtare. Quod præjudicium id effecit, ut Vaticiniis, futura demum denunciantibus, Hiſtorias, jamdudum ſuperioribus ſeculis peractas applicarent, & ſic ſemetipſos & alios fallerent.

Neglectus Scopus libri.

Falſa Hypotheſis.

Præconcepta Opinio.

Hæ ſunt potiores Cauſæ, quæ impedimento fuerunt, quò minus ſeculo hoc erudito reſerata prodiret Apocalypſis, ſuiſque Myſteriis ad Solis radios expoſitis, ſcientiam adaugeret: quibus etiam ſublatis, felicior ſperanda eſt expoſitio.

Reſtat tamen adhuc una; cui penè ſoli imputandum, quòd in tantas difficultates inciderint Interpretes, ut ex hoc labyrintho ſe expedire nequiverint. Nullam ſcilicet *Temporis* habuerunt rationem. Singulis enim Vaticiniis ſuas periodos aſſignare debebant, ſuumque Tempus. Quod ſi non exactè id facere poterant, ad minimum tamen κατὰ πλάτος id fieri debebat: & accuratâ diligen-

Tempus neglectum.

tiâ Temporis indices erant ex ipsâ Prophetiâ eruendi: ut utrinque terminos constituere possent, quos Vaticinium, hoc vel illud, complemento suo nec anteverteret, nec etiam transgrederetur. Ejusmodi enim limitibus benè constitutis, & facilior fuisset ad Res gestas accommodatio, & certior etiam Interpretatio, quæ etiam Lectorem invitum in assensum cogere potuisset. Cùm aliàs hoc negligentes semper fluctuabimus, & Conjecturarum procellis in ignoto navigantes pelago, omni cynosurâ destituti hinc illincq; jactabimur.

Nam cùm *Apocalypsis* ferè nihil aliud sit, quàm *Historia Ecclesiastica, à Spiritu S. ænigmaticè descripta*; Historiæ verò Anima sit Temporis accurata annotatio; ultrò patet, Temporis rationem esse habendam maximam, si feliciter interpretari voluerimus. Quomodo enim aliàs scire potero, quid præterierit, quidve restet adimplendum? Et quomodo Me, in tantâ varietate Historiæ Ecclesiasticæ, ad applicationem Rei gestæ ad prædictionem accingere potero? nisi priùs sciam, ad quod Seculum illud Vaticinium sit referendum. Sit pro exemplo *Tubicinium quintum*. Quis mihi hîc sponsor erit hoc jam præteriisse, si Tempus negligo? aut ad quod seculum illud referam? Ex prædicatis illud colligere debeo! Est aliquid. Ast tot monstra vexârunt Ecclesiam à primordio usque in hoc tempus, ut vel singulis seculis ejusmodi noxia animalia occurrerint. Hinc Cicadas hoc Tubicinio productas alius applicavit Arrianis, alius Sarracenis, alius Turcis, alius Pontificiis, alius Calvinianis, alius Socinianis, & quisque suam opinionem suis pinxit coloribus, ut mens veritatis avida, quid eligat, planè sit nescia. Constitutâ autem Periodo, & firmiter ex ipso Textu probatâ, facilis erit dijudicatio.

Hunc ad lapidem nisi offendissent Interpretes, jamdudum fortassis clariorem Apocalypseos haberemus explanationem. Hoc enim ex incommodo plura enata sunt, juxta illud πολυθρύλλητον: ἑνὸς ἀτόπου δοθέντος, κἄλλα συμβαίνει. Quippe nec Synchronismos rectè statuere; nec quamq; Visionem in suâ sede collocare, cumq; aliis conferre; nec Numeros Apocalypticos ad mentem Spiritûs Sancti explanare; neq; quantum præteriisset, quantumq; restaret adimplendum, certò determinare poterant; qui, nescio ex quo metu, Prophetiis his suas periodos assignare verebantur; vel, ut rectius loquar, à Spiritu S. assignatas eruere. Unde Confusionem suboriri maximam necesse fuit: id quod cuivis consideranti sponte patescet.

His

His consideratis, cùm viderem, non Spicilegium tantùm aliquod, sed uberem adhuc Messem, in Explicatione hujus Libri, relictam esse Posterioribus, incesfit Animū libido tentandi, quid nostri ferre possent humeri, & num aliquid lucis, Spiritu Sancto clementer adjuvante, his obscuritatibus fœnerari possem. Idq; feci non aliquâ arrogantiâ ductus, aut ex novandi cupidine, aut etiam eo animo, ut publicæ luci exponerem, quæ sedulâ meditatione investigaturus eram: sed sacer Mysteria hæc intelligendi ardor, & Christi sacras Scripturas scrutari jubentis præceptum, hunc laborem suscipere adegerunt. Initiò autem Res suâ difficultate non caruit. Hæsi enim in singulis fermè lineis, & parùm abfuit, quin Ipse in utilem meam diligentiam prorsus improbarem, & à cœpto desisterem. Donec animadverti, certam *Temporis* connotationem summè necessariam, magnamq; huic libro posse allucere facem: absque hac verò in tenebris nos versari Cimmeriis densioribus. Cum igitur hac in parte multum mihi lucis ortū esset: perrexi strenuè, & summâ cum admiratione, hæc veneranda arcana, non sinè sacro horrore, retecta vidi. Optabam autem, ut omnes viderent, quod Ego, Deumq; precatus sum, ut Virum aliquem Eruditione insignem, & Autoritate publicâ clarum excitaret, qui hæc Mysteria Ecclesiæ exponeret; cui lætus adstipulari possem. Me enim tanto negotio imparem judicabam: & prætereà etiam timor & verecundia obstabant, insuperq; accedebat imbecilla Corporis Valetudo. Tandem tamen, Me haud mihi, sed Ecclesiæ natum esse consideranti incesfit religio, num etiam salvâ conscientiâ Talentum hoc à Patre luminum mihi concreditum, possem in terram defodere. Proinde re ultrò citroq; deliberatâ, & exactè pensitatâ, tandem animum ad scribendum appuli. Quomodo verò successerit scriptio, *Aliorum* esto judicium! *Mihi* sufficit, quòd non aliquam evanidam gloriolam aucupatus sim, sed ritè precatus, solius Dei Gloriam, & Ecclesiæ commodum spectârim. Et licet necessariò nonnunquam mihi discedendum fuerit à sententiis Virorum Illustrium; id tamen non in rebus fidei, sed in rebus *quæstionis*; neq; eo animo factum est, ac si illorum famæ & existimationi aliquid detractum velim; aut Me illis sapientiorem (quod Deus prohibeat!) putârim: sed potiùs, ut Veritas in apricum ad Solis mensam exponeretur, & tandem *Apocalypsis*, eam quam Ecclesiæ debeat

Autoris Propositum.

redderet utilitatem. Cum Beato enim *Luthero* sentio, qui in *Præfatione* ad hunc librum expreßè statuit: *Hanc Prophetiam, quamdiu careat Interprete, & certâ Explicatione, esse mutam quandam Prophetiam, neq; fructum præstare Ecclesiæ, quem debet.*

Ut autem scias, *Amice Lector*; quid Tibi ex hoc Opusculo polliceri habeas, scito: Me studuisse singulis Visionibus suas periodos, â Spiritu S. in Textu aßignatas, attribuere; Illisque fata Ecclesiæ, sive præterierint, sive jam sint in fieri, sive denique sint futura, eruto genuino sensu, applicare. Operam præterea dedi, ut quæ Visio præcederet, quæque subsequeretur; quæ cum aliâ coinciderent, & quæ non; quæ eadem notaret, & quæ diversa proponeret, perspicuè ostenderem. *Numeros* itidem *Apocalypticos* pro virili explicui, & uno verbo ut dicam, *Chronotaxin* scripsi *Apocalypticam*: ut cuivis jam facilè sit dijudicare, quo in tempore vivamus, & quid imposterùm expectandum: *Doctrinas* & *Locos communes* non attigi, nisi obiter interdum: id enim jam Alii dudum summâ cum laude præstiterunt. Ego autem ab aliis relicta, bono cum Deo, in lucem producere conatus sum.

Tu verò JESU Christe, Æterna Æterni Patris Sapientia, suffice mihi quæso vires, Nobisque Spiritum S. tuum clementer largire, & radiis Sapientiæ mentes nostras collustra, inque omnem nos deduc Veritatem!

Amen!



C A-

CAPUT II.

De Autoritate Canonicâ, & Autore Apocalypseos agit.

Accidit Apocalypsi illud, quod Omni Verbo divino contingere annotavit *B. Lutherus*: quòd nimirùm *incrementum capiat, hominemque meliorem reddat, si intelligatur; sin minus, minuatur etiam, & offendat, ac scandalizet hominem.* Si enim intelligitur, Vim ac Virtutem suam exerit, & Lectorem aut Auditorem in sui amorem & admirationem rapit: quo fit, ut quis deinceps Lectioni & Meditationi magis magisque incumbat, & tandem uberrimum inde fructum reportet: cùm vice versâ vix aliquid utilitatis ex non intellecto Verbo ad nos redundet, & proinde negligatur etiam. Piè quidem credimus, nullum Jota, nec apicem ullum in Sacris Literis extare, qui non sit maximæ Autoritatis; omnia quippe immediato Spiritûs S. afflatu perscripta novimus: semper tamen Clariora præferimus; & etiam hac ex parte rem utilitate metimur. Exemplo poterit esse, quod dixi, Apocalypsis, quæ non intellecta, varia ab Antiquitate perpessa est judicia, & sat acrem, sat iniquam, quin, si dicere licet, summè etiam impiam sustinuit Censuram. Admirandam illam Libri Majestatem, *crassum ignorantiæ velum* vocitare non erubuerunt; & quæ Spiritus Sanctus immediatè dictaverat, impuro Hæretico, *Cerintho* nimirum, adscribere non veriti sunt; quæque mysticè erant explicanda, carnalia desideria docere autumaverunt. Cùm tamen impium Cerinthi dogma, ejusque in Divinitatem Christi blasphemia, pluribus in locis insigniter refellatur. Audiri hac de re poterit *Dionysius Alexandrinus* apud *Eusebium*. Nec hodiè etiam satis suam, quam

Gloss. margin. ad Cap. XIII. *Matth. v.* 12.

Euseb. Hist. Eccles. Lib. VII. *c.* 23.

habet Autoritatem & exiſtimationem tueri poteſt; cùm involucra illa nondum ſint ſatis revoluta. Accidit Mihi Ipſi aliquoties, ut Viris Eruditione conſpicuis quæſtiunculas nonnullas ex his vaticiniis proponerem, quò in ſententiâ meâ, ſi nihil ſolidi opponi poſſe cernerem, confirmarer; vel, ſi quid rectiùs addiſcere poſſem, mutarem eam: (Oculus enim oculo eſt oculatior, & plures plus vident, quàm unus!) Sed vel fronte caperatâ, & naſo adunco, pauca illa verba proferebant: Iſte Liber eſt clauſus & obſignatus, nec quid velint ſibi iſtæ obſcuritates ſciri poteſt; ſatiùs eſt, ut ab iſtis abſtineamus, clarioribus contenti: vel pertinaci ſilentio inutilem meam diligentiam, uti putabant, damnabant. Quod non feciſſent, ſi perpendiſſent, omne Verbum Dei jugi meditatione eſſe recolendum, nec tempus inutiliter teri, etiam in minutisſimis ſacris. Sed in promtu erat cauſa: non ita, ut par erat, de *Apocalypſi* ſentiebant, licet id apertè profiteri erubeſcerent. Numeratur quidem hodiè inter *Libros Canonicos*, apud multos tamen parvi eſt æſtimii: ita ut penè pro ſtulto, & fanatico habeatur, ſi quis operam ſuam huic Libro impendat, & quid Spiritus Sanctus ſub his integumentis proponat, inquirere velit.

De Autoritate Canonica Libri.

Hinc, licet eo labore ſuperſedere potuiſſem, cùm Alios eo defunctos eſſe ſciam, *Autoritatem hujus Libri Canonicam* probare aggredior. Ne ſcilicet in explicando ludam operam, cùm fruſtrà de genuino ſenſu ſimus ſolliciti, niſi prius conſtiterit eſſe *Divinum*. Quid enim nobis de libro ſuſpecto promittere poſſemus?

Et quidem prius *de Autoritate Libri* agemus, poſtea etiam paucula *de Autore ſecundario, ſive Scriptore* addemus.

Difficillimum autem eſt, aliis probare, hunc vel illum Librum eſſe *Canonicum*. Nam Sacrarum Literarum θεοπνευστίαν piè & ſimpliciter credimus, non apodicticè ſcimus; eaque Verbi divini natura eſt, ut, quando vel legitur, vel prædicatur, vel auditur, efficaciâ ſibi divinitùs inditâ lectorum & Auditorum animos (niſi obicem ponant) mirè moveat, ſimulq; de αὐθεντίᾳ ſuâ conteſtetur. Quod *internum Spiritùs Sancti Teſtimonium* omni quidem exceptione majus eſt, & infallibile; fidele tamen ſuppoſitum non egreditur, nec eſt aliis demonſtrabile. Non enim de quo mihi conſtat, ilicò etiam aliis evidenter demonſtrare poſſum, etiam in rebus profanis, nedum in hac causâ ſacrâ. Proinde hoc teſtimonio, quod ſolum fidem infallibilem & ἀμετάπτωτον efficere valet, ad alios convincendos uti non poſſumus: niſi ut dubitantibus acclamemus: *Venite, legite, & intelligite & vim divinam Ipſi experimini!*

Internum Sp. S. teſtimonium.

Quod

Quod si autem *interna* κριτήρια Sacræ Scripturæ, puta Antiquitatem, rerum Majestatem cum simplicitate perspicuitatem, perpetuam conformitatem & Harmoniam, aliaque similia, perpendere voluerimus, & ex istis αὐθεντίαν probare satagimus: tum fatendum quidem est, Illa libris sacris maximam conciliare Autoritatem, si videantur. Sed cum Mens nostra ad res sacras æquè se habeat, ac τὰ τῶν νυκτερίδων ὄμματα πρὸς τὸ φέγγος μεθ' ἡμέραν, & κριτήρια illa non irresistibiliter operentur; non omnibus ubique apparent. Non enim ejus sunt perspicuitatis & evidentiæ, ut cuivis, etiam non attento, occurrunt; aut si occurrunt, ita etiam menti illabantur, ut nulla supersit dubitandi ratio, sed quivis fateri cogatur, se sentire Numinis præsentiam, & loquelæ divinæ agnoscere Majestatem. Præsertim si non de toto Canone, sed tantùm de parte, hoc scilicet vel illo Libro, puta Apocalypsi, aut alia, instituatur quæstio. Unde licèt evidenter ostendere possimus: 1. Phrases Apocalypticas omnes Scripturæ redolere gravitatem & Majestatem; 2. nec sibi, nec reliquis libris Canonicis, tàm Veteris quàm Novi Testamenti contradicere; sed 3. ubiq; svavissimâ Harmoniâ concinere; 4. Figuras & Typos plerosque omnes ex Mose, Esaiâ, Ezechiele, & Daniele, & aliis repetere, iisque coordinatione aptissimâ insignem afferre lucem, & sic ubiq; vestigia premere Prophetica; 5. Divinitatis deniq; Christi argumenta suppeditare solidissima; Omnesque fermè Articulos Fidei splendidè satis proponere; 8. simulque gravissimas admonitiones, svavissimas consolationes, & severissimas comminationes addere; quæ Argumenta vel Thomistico ingenio possent satisfacere: nihilominùs tamen fuerunt quidam, etiam ex Eruditissimis; qui totum hoc Argumentum, ceu fictum, multis conviciis insectati, & quasi nihil haberet Apostolicæ gravitatis, sed vulgatam tantùm rerum Historiam, figurarum involucris adumbratam, recenseret, sunt criminati.

Interna κριτήρια.

De quâ re videndus *Erasmus in Annot. Apocal. 22. pag.* 547. Ex quo satis superque apparet, posse fieri, ut aliquis Liber Biblicus, Aliis appareat divinus, Aliis hæreticus; Aliis Majestate singulari nitens, Aliis verò hiulcus & nugis scatens; Aliis rebus spiritualibus refertus, & utilissimus, Aliis verò ineptis ænigmatibus repletus, & futilissimus. Oculi enim vitium non raro rebus visis imputatur. Quid, quæso, Evangelio Johannis gravius? quid divinius? Tamē blasphemū os *Enjedini* nefanda hæc evomere non erubuit: *Si obscuritas concisa, abrupta,*

Def. Erasm. Annot. in Apoc. p. 547.

In Explic. Locorum Vet. & N. T. — *mivimè cor. p. 136.*

minimè sibi cohærens, & ex allegoriis constans Oratio, sublimitas dicenda est, fateor Johannem esse sublimem! nam vix ullam Christi concionem ab eo relatam invenias, quæ tota non sit allegorica, & intellectu difficillima. Eja verò! quale judicium ferret hic Homo, seu potiùs belua, de *Apocalypsi Johannéa*, qui in *Evangelium* ejus tam insigniter est injurius. Ergò vix Contumaces Argumentis à κριτηρίοις deductis movebimus: nisi ipsos ipsa Libri moveat lectio, & illa ipsa κριτήρια animis tacitè illabantur, seq; qualia revera sunt, mentibus repræsentent.

Patres. Si ad *Testimonium Ecclesiæ* confugimus: possumus quidem *Patres* ex ultimâ primitivæ Ecclesiæ Antiquitate producere, qui de Apocalypsi satis magnificè senserunt. Prout magnam illorum nubem recenset *B. Gerhardus in Exeg.* LL. *loc. de Script. S.* cujus scrinia compilare jam non est animus. Hoc tantùm annoto, *Irenæum provocare ad testimonium eorum, qui Johannem Apostolum de facie ad faciem* (ut loqui amat) *viderunt.*

Gerhard. in Exeg. LL. p. mihi. 115. Irenæus lib. V. c. 25.

Concilia. Possemus etiam *Concilia* adducere, quæ de αὐθεντίᾳ hujus Libri testimonium perhibent luculentum. Inter quæ, post *Ancyranum*, Anno Æræ Dionys. 308. sub Diocletiano Imperatore; & *Carthaginense secundum*, Anno 399, Siricii temporibus, habitum; facile eminet *Toletanum Quartum*, Anno 630, seu, at Alii volunt, 639. celebratum. Ubi *Canon decimus sextus* sic habet: *Apocalypsin librum Multorum Conciliorum autoritas, & Synodica Sanctorum Præsulum Romanorum decreta Johannis Evangelistæ esse, præscribunt, & inter divinos libros recipiendum constituerunt. Et quia plurimi sunt, qui ejus Autoritatem non recipiunt, eumq; in Ecclesiâ Dei prædicare contemnunt, si quis eum deinceps non receperit, aut à Pascha usq; ad Pentecosten Missarum tempore in Ecclesiâ non prædicaverit, Excommunicationis sententiam habebit.* Sed quid? si quis *Tertulliani* illud nobis applicet? *Apud vos de humano arbitratu divinitas pensatur; nisi Homini Deus placuerit, Deus non erit; Homo jam Deo propitius esse debebit.* Et quis nobis sponsor erit, Universam Ecclesiam in hoc Patrum & Synodorum testimonium consensisse? cùm res sit manifesta, pluribus in primitivâ Ecclesiâ hunc librum displicuisse. Et si nemo contradixisset; unde scimus, Patres hac in parte non aberrasse à vero? cùm aliàs sæpiùs non leves defensarint errores; quod quia in propatulo est, nullâ indiget probatione. Fateor, *Testimonium Ecclesiæ* plus aliquid esse,

Concil. Toletanum quartum. Can. 16.

Apolog. c. 5.

quàm humanum, illudque meritò magni fieri: sed quàm facilis est lapsus, ut pro testimonio Ecclesiæ genuino, particulare aliquod Nonnullorum placitum apprehendamus!

Hæc non ideò scribo, quasi dum de Canonicâ autoritate Apocalypseos vetus testatur Ecclesia, Illius testimonium sufflaminare velim. Nequaquam! Sed, ut videant illi, qui perpetuò nil nisi *Ecclesiam* crepant, quid opponi possit; & quàm arenoso innitantur fundamento, qui hujus aut alterius Libri Canonicam Autoritatem, ex solo (*solo* inquam) Ecclesiæ testimonio probare satagunt.

Res sanè, ut antea dixi, difficillima est, Alteri Canonem probatum dare, & firmiter persvadere!

Vix tamen Animos nostros aliquid magis afficere poterit, quam *Vaticiniorum Complementum*. Illud ipsum enim, ut Lydius lapis, ad quem singulas Prophetias affricemus, illarumque Divinitatem exploremus, ab Ipso Deo nobis monstratur, *Jerem. XXVIII. v. 7.* *Audi Verbum hoc*, inquit Propheta, *quod Ego loquar in auribus tuis, & in auribus universi populi. Prophetæ, qui fuerunt ante Me, & ante Te ab initio, & prophetaverunt super terras multas, & super Regna magna, de prælio, & de afflictione, & de fame. Propheta qui vaticinatus est Pacem, cùm venerit verbum ejus, tunc scietur Propheta, quem misit Dominus in veritate.* Hoc in dicto asserit Propheta, Complementum Vaticinii testari de ejus divinitate. Et merito quidem: nam futura prædicere, præsertim Statum Ecclesiasticum concernentia, soli Deo competit. Hinc *Esaiæ* XLII. v 9. ipse Deus hanc Gloriam sibi arrogat, cùm inquit: *Ego Dominus, hoc est Nomen meum: Gloriam meam alteri non dabo, nec laudem meam sculptilibus. Quæ prima fuerunt, ecce venerunt: nova quoq; Ego annuncio: antequam oriantur; audita vobis faciam.* Similia habentur *Cap.* XLVI. v. 10. *Recordamini prioris seculi, quoniam Ego sum Deus, nec est similis mei: annuncians ab exordio novissimum, & ab initio, quæ nec dum facta sunt, dicens: Consilium meum stabit, & omnis voluntas mea fiet.* Et *Cap.* XLVIII. *v.* 3. 4. 5. 6. 7. 8. *Dominus Exercituum Nomen ejus. Priora ex tunc annunciavi, & ex ore meo exierunt, & audita feci ea: repentè operatus sum, & venerunt. Scivi enim, quia durus es tu, & nervus ferreus cervix tua, & frons tua ærea. Prædixi tibi ex tunc: antequam venirent indicavi tibi, ne fortè diceres: Idola mea fecerunt hæc, & sculptilia mea, & conflatilia mandaverunt ista.*

Vaticiniorum Complementum.

Jerem. XXVIII. v. 7.

Esa. XLII. 9.

Quæ audiſti, vide omnia: vos autem non annunciaſtis? Audita feci tibi nova ex tunc, & conſervata ſunt, quæ neſcis. Nunc creata ſunt, & non extunc: & conſervata ſunt, quæ neſcis. Nunc creata ſunt, & non extunc: & ante diem, & non audiſti ea, ne fortè dicas: Ecce ego cognovi ea. Neq; audiſti, neq; cognoviſti, neq; extunc aperta eſt auris tua.

Ex his locis allegatis ſatis conſtat, DEUM ſibi ſoli adſcribere futurorum prædictionem; prædictionumq; divinitatem ex eventu cognoſci poſſe.

Si itaque Apocalypſis futura prædixit, eaque ſubſequens Eventus verificavit, absque ſcelere ejus Divinitatem negare non poſſumus. *Deus enim eſt, qui locutus eſt per Prophetas, & viſionem multiplicavit, & in manu Prophetarum aſſimilatus eſt*, ut habet *Hoſe.* XII. v. 10. Quâ fronte igitur, ea, quæ Dei ſunt propria, Alteri adſcribemus?

Si verò quispiam *objiciat*, etiam Diabolum nonnulla prædixiſſe, quorum eventus poſtea ſit ſubſecutus; & hinc noſtrum Argumentum, à complemento vaticinii deductum, ſufflaminare velit: ſciat, rem cum prædictionibus diabolicis ſe longè aliter habere ac cum divinis. Hæ circumſtantiis ſuis gaudent, & limitibus certis determinantur, quin non raro adjunctum habent numerum, tempus exactè deſcribentem, ut Vaticinium nulli alteri rei geſtæ, ut undiquaque congruat, accommodari poſſit, niſi Illi, quam Spiritus Sanctus intendit. Et licet aliquando Interpretes in applicando aberrent, & vaticinium ſecùs, ac à Deo revelante intentum erat, explicent, diſſenſus facilè conſiderantibus apparet, & ſolummodò ei Hiſtoriæ convenit, quam prædixit divina præſcientia. Illæ verò ſunt ambiguæ & obſcuræ, luſumque aliquem continent, ut, ſive eveniant, ſive non, tamen verum dixiſſe videri poſſit ater ille genius. Quid? quòd divinæ prædictiones potiſſimum de rebus Eccleſiaſticis, aut ſaltem de inſignioribus Rerumpublicarum mutationibus, Eccleſiam non parùm afficientibus, phraſi & ſtylo prophetico vaticinentur: Diabolicæ verò de rebus levioribus, & nullius ferè momenti indicium faciant; multumque inutilis terroris, nihil autem utilitatis Mortalibus adferant. Sumamus pro Exemplo id, quod *Aventinus* recenſet, *Lib. III. p.* 154. *In Dalmatiâ*, inquit, *res adverſæ fuêre Romanis. Mundus cum Mauritio filio caſus eſt à Go-*

à Gotis. Sunt autores, fatidica Sibyllæ carmina pronunciata esse, quorum sententia, periturum cum prole suâ Mundum, ubi Africa denuò armis Romanis recepta foret. Hoc Sibyllæ Vaticinium plerosq; Mortales conterruerat, qui anxii tabefactiq; metu, excidium Orbi terrarum imminens expectabant. Verùm exitus & nex Mundi ducis, filiiq; sui docuit, probavitq; hujuscemodi vaticinia tam obscura ambiguaq; esse, quam fallaces sunt eorum artifices atrigenii. Hæc ille.

Hic observa, incertum esse, *Sibyllam*, quam non nemo Japheti uxorem fuisse, & Spiritu S. illustratam autumat, hunc Mundi interitum prædixisse: & si prædixisset, prædictionem hanc tam inutilem, & nec Ecclesiæ, nec Politiæ salutarem fuisse: insuper etiam insigni lusu Hominum animos terruisse; satisque apparere, hanc à maligno Spiritu fuisse profectam. Secus autem res habet cum *Vaticiniis divinis*, è quibus uberrima redundat ad considerantes utilitas, nec lusu aliquo continentur, sed soli rei prædictæ sunt applicabilia; ut nimirum undequaque congruant. *Erasm. Smidius Differt. de Sibyllis.*

Unde jure meritoque concludimus, Apocalypsin, si prædictiones ejus aliquæ suum sunt sortitæ effectum, divinæ esse Autoritatis.

Jam verò, si non omninò cœcutimus, fatendum nobis est, tum furorem Ethnicorum in persequendo Ecclesiam, eorumque casum; tum furias Muhammedis, ejusque Sectæ dilatationem noxiam; tum etiam Papalis Tyrannidis sævitiem; & tandem admirandum Reformationis præterito seculo institutæ opus, verbis & typis sat perspicuis in Apocalypsi esse prædicta, & eo ordine, quo jam sunt peracta, uti ex eventu videmus, esse consignata. Anne igitur ampliùs de hujus Libri *Autoritate* dubitabimus?

Fuerint in primitivâ Ecclesiâ, fuerint etiam Viri Pii & Docti, quibus hic Liber displicuerit, propterea, quòd ænigmata, & futiles ambiguitates ipsis visus est proponere: Nobis non idem sentire licebit, quos jam eventus docuit, Draconem Cœlo dejectum repræsentare fugatum Ethnicismum; Fluvium omnia inundantem, & Mulieri infestum, exortum Turcismum sive Saracenismum; ostensam Babylonicam meretricem, detectam Romæ iniquitatem, & exultantes cum Agno in Sionis Monte, Confessores Evangelicos.

Sat Autoritatis hæc huic vaticinio conciliare possunt, illudque divinum esse nobis persvadere. Nimirum *hoc tempus est Periodicum,*

Henr. Hœpfnerus Disp. II. de Apostas. Rom. Pap. Eccles.

scribit *B. Hœpfnerus Disp. II. de Apostas. Rom. Pap. Eccles.* *ante quod prophetia mansit obsignata & inexplicabilis, nunc autem piis occulta & caliginosa esse non potest, cùm per illam repræsentatæ res* PLERÆQUE *appareant, atque ipsis præsentium eventuum structuris resplendescant, & longè lateq; in totius Ecclesiæ faciem diverberentur.*

Euseb. Hist. Eccles. Lib. VII. c. 23.

Quod si quid *Obscuritatis* adhuc reliquum est, piè *Dionysium Alexandrinum Episcopum* apud *Eusebium*, sequemur, qui ita inquit: *Ego verò spernere, aut abjicere scripturam Libri hujus nullatenus audeo, maximè cùm multi ex Fratribus mecum sentiant; sed hoc magis de eo judico: quòd excedant atq; emineant, quæ in eo scripta sunt, auditionis modum, & sit in eo arcanus quidam, & reconditus atq; admirandus omnibus sensus, quem & Ego admirando veneror, etiamsi non intelligo: Et ita sentio, quòd divina aliqua Sacramenta sermonibus contegantur humanis, non tam judicio meo discernens, quàm fide credens. Et ideò non reprobo, quæ non intelligo, sed tantò magis admiror, quantò minus assequor.* Aut saltèm modestiam *Socratis* imitabimur, qui de libro *Heraclyti* difficili intellectu rogatus, ingeniosè respondit: *Ea, quæ Ipse intelligeret, valdè sibi visa esse præclara & generosa; credere autem se, talia item esse, quæ non intelligeret.*

Non itaq; laterem lavabimus, si conabimur, res in Ecclesiâ gestas huic Scripto applicare; sed quò dexteriores erimus in Applicando, eò magis in amorem hujus Libri, ejusque Autorem DEUM, rapiemur, & magis magisque Autoritas hujus Vaticinii nobis patescet.

Bellarm. de Verbo Dei, Lib. I. c. 2.

Si etenim concedimus, Apocalypsin prædixisse futura, eaque eventu esse comprobata, uti fatemur, & satis manifestè patet, (sinoctuas hoc negantes nihil moramur) jam sibi ipsi Ipsa testimonium ferre poterit. Rectè enim *Bellarminus, Lib. I. c. 2. de Verbo Dei: Scriptura ipsa est sibi testis, quòd sit vera & divina. Si enim vera sunt Scripturæ testimonia de rebus futuris, quod eventus comprobavit, multò magis erunt vera Scripturæ testimonia de rebus præsentibus.*

Testimonium ipsius Apocalypseos.

Admittatur igitur ad testimonium de seipsâ dicendum *Apocalypsis*. Divinæ namque est Autoritatis, nec fallitur, aut fallere potest.

Mox autem ab initio testatur: *Hanc esse Apocalypsin Jesu Christi, Cap. I. v. 1.* quod non tantum objectivè, quia de Christo, ejusque Corpore mystico, Ecclesiâ, agit, sed etiam effectivè, quia hæc revela-

tio

tio immediatè ab Ipso Christo promanavit, est intelligendum. Adscribitur præterea *Deo Patri*, his verbis: *quam dedit ipsi Deus:* Ad quæ verba *Glassius in Grammat. sacrâ, Lib. III. Tract. 3. Can. 16. p. m.* 277. annotat: *Datur Christo à Patre Apocalypsis (occulta doctrina Hominibus revelanda) seu docetur Christus à Patre, quando ex arcano Patris sinu eam profert, Joh. I. v.* 18. Profluxit itaque Apocalypsis è sinu Patris æterni.

Afflatu etiam *Spiritûs Sancti* singulari conscriptam esse, & in conspectu *SS. Trinitatis* visam, testantur verba Scriptoris, cùm inquit: ἐγενόμην ἐν πνεύματι, *Fui autem Spiritu correptus*: quâ phrasi sanctus ille ἐνθουσιασμὸς, quo sancti Dei Homines correpti, extra mundum hunc animâ evehebantur, ad beatum SS. Trinitatis aspectum, simulque Spiritu S. admirabiliter replebantur, denotatur. Ministerio etiam *S. Angelorum*, quemadmodum etiam de *Lege Mosaicâ scribitur Deut. XXXIII. v. 2. Gal. III. v. 19.* patefacta est. *Mandato* denique *divino* est exarata: *Jussus* enim est Spiritûs S. Amanuensis *scribere in libro, Cap. I. v. 11. scribere quæ vidit, quæ sunt, quæq; futura sint; ibid. v. 19. non tamen obsignare verba prophetiæ hujus, Cap. XXII. v. 9.* sed potiùs *de his sanctè testari, Cap. XXII. v. 20.* Gaudet insuper *Promissione divinâ* hic Liber, simulque munitur *Anathemate* dirissimo. *Promissio* habetur *Cap. I. 3. Beatus, qui legit, & Beati qui audiunt verba Prophetiæ hujus, & servant ea, quæ in ea scripta sunt. Anathema* dicitur *Cap. XXII, 18. 19. Enim verò contestor cuivis audienti verba Prophetiæ libri hujus, si quis adjecerit ad hæc, imponet ei Deus plagas scriptas in libro isto, & si quis abstulerit aliquid ex verbis libri prophetiæ hujus, auferet Deus partem ejus è libro vitæ, & ex Urbe sanctâ, & ex iis, quæ scripta sunt in libro isto.*

Ex his adductis splendor & Majestas Libri satis superque apparet, & Autoritas ejus Canonica ultrò patescit. Possem tamen plura addere argumenta, divinitatemque hujus prophetiæ latiùs probatam dare, nisi hæc omninò sufficere putarem.

Hactenus igitur de Autoritate dictum esto: nunc etiã aliquid addendum erit de *Autore*. Quanquam parum referat, etiamsi ignoremus *Autorem secundarium*, si modò de *Primario*, Spiritu S. nobis constet. Hic tamen sese etiam ampla dubitandi offert materia; si Antiquitatis stare voluerimus suffragio. Sunt qui affirmant, sunt qui negant, Apocalypsin à Johanne Apostolo *De Autore Libri.*

& Evangelistâ esse conscriptam. Cùm autem Negantium Argumenta levioris sint momenti, non video, quomodo de Autore dubitare posit Is, qui divinæ esse Autoritatis Apocalypsin concedit. Ipsa enim vel quinquies asserit, scriptam esse *à Johanne* ; & visam *in Pathmo*. *Theologi*, κατ' ἐξοχὴν sic dicti, eam esse, Titulus præ se fert; &, si *Complutensi Exemplari* credimus, etiam *Apostoli*. Ut nihil dicam de *Arabicâ Versione*, *quæ*, *teste Hottingero in Analect. pag.* 281. in fronte hunc Titulum gerit: *Liber Apocalypsis*, *i.e. Visio Johannis Evangelistæ, Filii Zebedæi, dilecti Domini nostri Jesu Christi, cui sit laus*. In calce verò hæc verba habentur: *Finita est Apocalypsis Johannis Evangelistæ, quâ absolvuntur Libri N. T. Domini nostri Jesu Christi, cui Gloria cum Patre & Spiritu S. in secula seculorum Amen!* Quod Ecclesiæ Testimonium publicum non sanè susque deque ferendum est. Sed etiamsi nihil his Titulis tribuamus, quis tamen obsecro, est ille *Johannes*, in Pathmo scribens, tam insignitæ Autoritatis, ut *Theologi* Nomen sit nactus, & Librum suum septem Asiæ Ecclesiis, aut potiùs sub harum velamento, toti Christianæ Eccesiæ dedicare sit ausus? Mirum! nî fuerit Ille dilectus Jesu Discipulus, Apostolus & Evangelista, Ille Filius Tonitrui, Tonitrua divina & audiens & revelans! Certè, & Locus Scriptionis, & Nomen, Johanni Apostolo optimè conveniunt. Nec *Alius* quispiam *Johannes*, qui fuerit Apostolorum tempore tantæ Autoritatis, & in Pathmo exulem egerit, ex Antiquitate ostendi potest. Nodum igitur in scirpo quærunt, qui dubitant, ubi nulla probabilis dubitandi adest causa. *Stylum* enim quòd objiciunt, quasi plurimum à Johannis Stylo, in Evangelio usurpato, differat; perpendant, differre quidem; sed differre etiam Materiam; hocque in Scripto non suo uti stylo, sed Prophetarum, librorumque Veteris Instrumenti, quos explanare, eorumque obscurè dicta, & mysteria recondita, Phrasibus Illorum retentis, repandere debuit. Hinc plus Hebraizat, quàm Græcissat: nec tamen aliter fieri potuit, cùm ex Hebræorum fontibus arcanum hoc Vaticinium sit haustum, & Scriptum hoc ex illis novo schemate contextum.

Non tamen ubique Sui oblitus est Johannes; sed & sui Styli vestigia non rarò reliquit. Peculiare sanè est Johanni, præ reliquis Librorum Novi Testamenti Scriptoribus, Filium Dei vocare λόγον *Ioh. I*, 1. 1. *Ioh. I*, *v*. 1. Jam verò eandem appellationem tribuit Filio

lio Dei in hoc libro, *Apoc.* XIX, 13. Confer etiam *Cap.* I. v. 1. *&* 2. *Apocalypseos*, cum *Histor. Evangelic. Cap.* XXI. v. 24. *&* *Epist.* I. *Cap.* I. v. 1. 2. *&* 3. Et passim vestigia Styli Johannéi luculentissimè deprehenduntur.

Reliqua, quæ objici solent, exigui sunt ponderis; & ab Aliis jamdudum profligata, ut ea prolixius refutare, esset tempus perdere.

Tamdiu igitur *Johanni Apostolo & Evangelistæ* hunc Librum adscribemus, donec Alium Johannem, hujus Scriptorem, quis indubitatò Nobis monstraverit & probaverit.

Concludo itaque hoc *Caput* verbis *B. Gerhardi*: *Tanta est hujus Scripti sublimitas ac Majestas, ut nulli ex vetustissimis etiam Patribus tribui possit, ob futurorum prædictionem, quæ divinæ Omniscientiæ est propria, Esa.* XLI. v. 22. *nec nisi Apostolo, per Spiritûs Sancti inspirationem & per propheticas visiones revelata.*

Gerhard. Exeg. LL. de Script. Sacr. p. m. 144.



CA-



CAPUT III.

Tractat Quæstiones:

1. An explicatu ſit posſibilis Apocalypſis, nec ne?
2. An licitum ſit eam explicare?
3. Quid Utilitatis inde ſit ſperandum?

Probatâ Libri Autoritate Canonicâ, proximum eſt, ut diſpiciam, An ullâ humanâ induſtriâ, ductu & auxilio Spiritûs S. in illa arcana, ſeu Myſteria penetrari queat? & ſi queat; Num etiam fas licitumve ſit, ea operoſiùs aut exactius rimari? Quidve exinde Eccleſiæ, aut piis mentibus utilitatis accedere poſſit. Ex his tribus unum ſi defuerit, ſatius erit, ab explicatione hac manum abſtinere, quàm anxiâ & inutili diligentiâ animum calamumque fatigare. Curioſum enim eſt, & vanum, quærere, quando τὸ ζητούμενον inveniri non poteſt; & rebus vetitis, & inutilibus vacare dementia eſt.

Primum igitur quod attinet, communis habetur Opinio, Scriptum hoc, inter omnes Veteris & Novi Teſtamenti libros, eſſe difficillimum, & non immerito accuratam ejus explicationem in cenſum quatuor ſummorum illorum Arcanorum, ut quintum, vel potiùs ob

ob rei divinitatem, ut primum, numerari debere: nimirum, *Lapidis Philosophici, Ignis perpetui, Perpetui Mobilis, & Quadratura Circuli.* Horum siquidem notitia scibilis, nondũ tamen perspecta ac cognita est satis. Quin tanta Obscuritas huic inesse creditur Libro, ut à plerisque, Illum ante diem extremum intellectum iri, planissimè negetur: tantaque ejus Majestas censetur, ut eum ne attingere quidem omninò deceat, nedum de eruendo genuino sensu sollicitum esse.

Verumenimverò, quanquam durum sit, Viris Magnis, quibus jamdudũ Fama in templo æternitatis trophæa erexit, obloqui: si tamen potior habenda est ratio Veritatis, quàm Autoritatis humanæ, bonâ istorum pace dissentire licebit, & contrarium statuere: cùm præsertim non omnia omnibus pervia esse soleant, sed & Olitor interdum haud importuna loquatur.

Statuo itaque, rem quidem suâ difficultate non carere, præsertim in Vaticiniis, quæ complementum suum nondum nacta sunt: nihilominus tamen Apocalypsin ejus esse Perspicuitatis credo, ut humanâ industriâ, legitimis mediis interpretandi adhibitis, DEO labori clementer benedicente, Mentemque interpretis gratiosè, mediatè tamen, collustrante, genuinus Sensus, à Spiritu S. intentus, & qui ratione principii sit divinus, erui possit. Nec tantùm id procedere autumo in illis Visionibus, quæ jam sunt adimpletæ, sed etiam in istis, quæ futuris adhuc temporibus reservantur adimplendæ. Hoc tamen annotato discrimine; quòd quæ jam impleta sunt, suis Circumstantiis & coloribus possint vestiri, ut evidentiora appareant; quæ verò adhuc futura sunt, istis non possint exornari; cum istiusmodi Circumstantiæ non sint revelatæ, sed res tantùm extremis & præcipuis lineis à Spiritu S. adumbratæ, ut eatenùs saltem præsciri possint, quatenus patefactæ sunt, & generalem quandam ingenerent notitiam, quemadmodùm etiam generaliter sunt prædictæ; & sic explicata etiam obscuriora videantur. Aliàs & hic & ibi, eadem perspicuitas, eademque & intelligendi & explicandi facilitas, idemque labor. Declaravi hoc ipsum *suprà Capite primo*, Somniis Josephi, quæ pius senex Jacobus in tantum intellexit, in quantum rem generaliter prædicebant; modum, tempusque, cum prædicta non essent, scire non poterat. Ita etiam in his vaticiniis se res habet.

Perspicuitas Apocalypseos asseritur.

D Hæc

Hæc tamen non ita accipi volo, quasi ſtatuerem, neceſſe eſſe, ut
“ unus aliquis omnia & ſingula absque ullâ hæſitatione ubique
“ intelligat, aliisque ſic proponere queat, ut ubique aſſenſum
“ præbere cogantur, nihilque, quod regerant, habeant. Minimè!
Sufficit enim ad perſpicuitatem Libri, ſi hic hanc, alius aliam Viſionem dextrè explanet, ut communi tandem operâ oſtium hoc occluſum recludatur. Non enim contrariatur mihi illud *Auguſtini*: *In talibus divinorum eloquiorum obſcuritatibus, quibus noſtras intelligentias Deo placuit exercere, non ſolùm alius alio movetur acutius eorum, qui Scripturas ſanctas non improbabiliter tractant, ſed etiam quilibet unus illorum, aliquando minus, aliquando melius intelligit.* Sic eſt! Quanquam verâ Clavi adhibitâ vix quicquam occluſum remanebit; cùm Viſio viſionem explicet, & aperta obſcurioribus facem alluceant, & ex totius Operis Harmoniâ certior reſultet Veritas.

Auguſt. Epiſt. 80.

Ne autem gratis hoc aſſerere videar; juvat, cùm diſſidentium Rationes diſcutere, tùm noſtram Sententiam Argumentis ſtabilire.

Argumenta contra explicabilitatem Apocalypſis.

Et ſanè qui de intellectu hujus Prophetiæ deſperant, eumque in Vitam æternam rejiciunt, duplici moventur Argumento; quorum *primum*, à fruſtrà inſumtâ operâ Virorum præclarorum; *alterum* à Vaticiniorum V.T. naturâ & ſimilitudine deſumtum eſt. Dum enim & ſe, & alios, interpretandi Scripturam S. mediis vident inſtructisſimos; ſubinde tamen & ſibi, & aliis, in hoc Libro, etiam in ſingulis paginis, ne dicam verſiculis, aquam hærere cernunt, in eam delabuntur ſententiam, ut, ſi posſibilis foret explicatu Apocalypſis, jamdudum ſumma ingenia illud præſtitura fuiſſe concludant; hoc præſertim literatisſimo & ultimo Seculo, ubi in horas ferè ſingulas dies ille extremus expectatur. Ab His autem, talibus & tantis, cùm hæſitatum ſit, fruſtrà ab aliorum ſperari infantiâ, quod inſignem illam latuiſſet Sapientiam autumant. Huic accedit & *alterum*: nempe Omnibus Vaticiniis Veteris Teſtamenti accidiſſe, ut non prius, quàm facto complemento intelligerentur. *Non enim poſſe quenquam* (quod ex *Exod. Cap.* XXXIII. adducunt) *Faciem Jehovæ videre, ſed ubi præterierit, poſteriora ejus eſſe conſpicua.* Unde ſimile judicium de hoc Libro Apocalyptico eſſe ferendum credunt.

Sed quis non videt, exactiùs hæc penſitans, leviora eſſe, quàm ut militent?

Pri-

Primum enim *Argumentum*, merum humani cerebelli, nimium sibi placentis, figmentum est, & nescio quid supercilii simul & pusillanimitatis tegat! Ceu vel Deus gratiâ suâ his illisve Individuis sit alligatus, & nunquam mysteria sua νηπίοις revelare dignetur; vel Majores nostri omnia potuerint, nobisque Posteris nihil sit relictum, quod agamus! Annus, non tellus fert Rosas! Lusus fortè erit aliis, quod nobis hodiè est nodus Gordius. Sic, quod latuit nostros majores, anne necessum est, ut & nos lateat? Non puto! Hæresis fuit olim, credere Antipodes: hodiè si quis eos negaret, vel puerorum etiam sannis exciperetur. Quid remoræ fuerit summis illis Ingeniis, ostensum est *Capite primo*, & ostendetur in hoc Scripto *passim*. Et præterea Viri illi celebres & primipili, dum defensioni stant, & controversiis, aliisque functionibus sunt occupatissimi, non tantum temporis, quantum rei difficultas exigebat, his meditationibus impendere potuerunt. Nec enim subitâ festinatione, & consvetâ interpretandi methodo res peragi potuit: sed multo tempore, multo labore, multisque vigilatis ordine noctibus opus erat. Scio Ego, quantæ mihi devorandæ fuerint molestiæ, ubi Tu jam, *benevole Lector*, re inventâ, inoffenso poteris pede progredi. Sæpe vel unica Periodus Me per aliquot Menses, ne dicam Annos, exercuit, priusquam genuinum possem adipisci sensum. An igitur isti Heroës tantum temporis insumere, vel potuerint, vel voluerint, in hujus Libri explicatione, & tam pertinaci studio in hunc computum inquirere sategerint, causas dubitandi habeo non leves.

Responsio, ad primam Objectionem.

Et fortassis etiam, nisi fuissent summi & celebres, citiùs ad fundum hujus Prophetiæ penetrassent: Deo sic hoc negotium gubernante, ut plus sibi revelanti, & mentem interpretis collustranti deberetur, quam Eruditioni Explicantis; suoq; Nomini sanctissimo ex ore & calamo Infantis laus conficeretur aliqua.

Venio ad *Alterum*, & respondeo: *primò*, non satis liquere, *Vaticinia V. T. ante complementum suum à nemine fuisse intellecta.* Unde enim hoc nobis probabitur? Quid si illis nonnulla fuissent magis perspicua, quàm Nobis, utpote cùm Illis & lingua, & phrases, & rerum circumstantiæ, & Historiæ, ad quas alluditur, fuerint notissimæ, Nobis verò hodiè non rarò conjecturis sit agendum! Certe Messiam venturum esse, illumque fore & Deum & Hominem, itemque Regem & liberatorem populi sui, non nisi

Responsio ad Objectionem alteram.

ex vaticiniis cognoverunt, licèt ipſum foreRegem terrenum ſomniarent nonnulli. Intelligebant, Meſſiam fore Davidis filium, i.e. ex proſapiâ ejus oriundum: noverant illum Bethlehemi naſciturum: ſciebant ipſum fore æternum. Unde ſatis patet, etiam Vaticinia Veteris Teſtamenti probè intellecta fuiſſe, priusquam complerentur, exceptis illis, quæ tum temporis intelligi non debebant, ſed ultimis reſervabantur temporibus.

Deinde, etiamſi detur, à nemine fuiſſe intellecta, priusquam complerentur, hoc tamen nihil Vaticiniorum perſpicuitati derogat; ſed potiùs hominum ejusmodi Vaticinia legentium & conſiderantium, vel incuriâ notat, vel ſtupiditatem. Non potuiſſe intelligi oſtendendum eſt, ſi quid concludere volunt: non verò humana ſocordia divinæ revelationi eſt affricanda. Fruſtrà certè ad accuratam Danielis lectionem, ejusque Vaticinii penſitationem Auditores ſuos Salvator ablegaſſet, ſi tantâ obſcuritate laboraret Daniel, ut ante complementum iſta Vaticinii pars, de quâ agebat, intelligi nequiviſſet.

Et *tandem* etiam hoc poſito, non tamen conceſſo, V.T. Vaticinia ante complementum intelligi haud potuiſſe; tamen ab illis ad Apocalypſin concludere, μέγα λίαν eſſet αἴτημα. Ratio enim diverſita is in promtu eſt. Illa V.T. prophetiæ tanto jam tempore intellectæ ſunt ſatis, & inſignem Eccleſiæ præbuerunt per tot ſecula utilitatem, cùm in confirmandâ doctrinâ Apoſtolicâ, tùm in formandâ fide & pietate tot Chriſtianorum, & ſimul in refutandâ nequitiâ Hæreticorum. Quem verò præſtabit Eccleſiæ uſum Apocalypſis, intellectu & explicatione ſuâ ad vitam æternam rejecta? Nam *Prophetiæ evacuabuntur, Linguæ ceſſabunt, & ſcientia* (modus cognoſcendi Deum, & ejus myſteria ex Scripturis) *deſtruetur. Ex parte enim cognoſcimus, & ex parte prophetamus. Cùm autem venerit, quod perfectum eſt, evacuabitur quod ex parte eſt, inquit Apoſtolus.* Fruſtrà igitur conſcripta eſſet, ſi in hac vitâ planè non intelligeretur.

1. Corinth. XIII. v. 8. 9. 10.

Quòd enim *Alii regerunt*, nihilominus inſignem præſtare uſum Apocalypſin, etiamſi non planè intelligatur: eſſe enim conſcriptam, ut humanam Obſcuritatibus ſuis refrenet curioſitatem, & Sacris Literis quandam conciliet Majeſtatem; ſalubres *præterea* Doctrinas eſſe attendendas, quæ ſuo fructu non deſtituantur; dilutius eſt, quàm

ut

ut nobis faceſſat negotium. *Ad primum* enim Aſſertum reſpondeo, id è S. Literis non poſſe probari, ſed tantummodò eſſe inventum humanæ Rationis; eâ itaque facilitate poſſe negari, quâ aſſeritur. *Alterum* verò non ſufficit: Cùm ob iſtas Doctrinas (quas equidem magni facio) non primariò hic Liber ſit conſcriptus, quippe quæ ex aliis libris Biblicis alioquin evidenter poſſunt erui, & cuivis pateant, etiam ſi Apocalypſis nunquam eſſet conſcripta. Non igitur de particulis aliquot excerptis quæritur, ſed de totâ totius Libri συνάφεια, qua non intellectâ, ignoratur etiam Scopus à Scriptore intentus; & facilis deinde lapſus eſt in eruendis Doctrinis. Unum enim inconveniens plura ſecum trahere ſolet.

Argumenta pro perſpicuitate Ἀποκαλύψεως.

Rationes autem dari poſſunt perquàm multæ, *quòd Liber hic ſit explicabilis,* ſi modo ipſam audire voluerimus *Apocalypſin.* Et vel ſola ἐπιγραφὴ, juſtâ examinata diligentiâ, non contemnenda Nobis ſuppeditat argumenta. Ea autem ſic habet:

ἐπιγραφὴ Ἀποκαλύψεως.

Ἀποκάλυψις ἰησοῦ χριστοῦ, ἣν ἔδωκεν αὐτῷ ὁ Θεὸς, δεῖξαι τοῖς δούλοις αὐτοῦ, ἃ δεῖ γενέσθαι ἐν τάχει. καὶ ἐσήμανεν ἀποστείλας διὰ τοῦ ἀγγέλου αὐτοῦ τῷ δούλῳ αὐτοῦ ἰωάννῃ. Et paulò poſt: Μακάριος ὁ ἀναγινώσκων, καὶ οἱ ἀκούοντες τοὺς λόγους τῆς προφητείας, καὶ τυροῦντες τὰ ἐν αὐτῇ γεγραμμένα. ὁ γὰρ καιρὸς ἐγγύς. Quæ *Vulgata Verſio* ſic vertit: *Apocalypſis Jeſu Chriſti, quam dedit illi Deus, palàm facere ſervis ſuis, quæ oportet fieri citò, & ſignificavit mittens per Angelum ſuum ſervo ſuo Johanni.* Et paulò pòſt: *Beatus, qui legit & audit verba Prophetiæ hujus, & ſervat ea, quæ in ea ſcripta ſunt, tempus enim propè eſt.*

Miror quomodo legentes hanc ἐπιγραφὴν, negare auſint, Apocalypſin eſſe explicatu, ſi non facilem, poſſibilem tamen, cùm penè ſingula verba id teſtentur.

Argumentum primum à Titulo.

Dicitur enim *Apocalypſis*; *Revelatio*, retectio, manifeſtatio, occultorum & abſconditorum in lucem productio, & arcanorum patefactio, *ab ἀποκαλύπτω, occultum revelo, retexo, ſeu patefacio.* Nunquam autem in Sacris libris rem obſcuram & inexplicabilem, ſed ſemper rem manifeſtam & intelligibilem notat.

Hinc *Chriſtus ipſe* dicitur φῶς εἰς ἀποκάλυψιν ἐθνῶν, *Lumen patefaciendum Gentibus, Luc.* II. 32. utpotè Gentibus non obſcurè, ſed claré & manifeſtè prædicandus.

Usurpatur etiam de Evangelio Gratiæ, & Mysterio Salutis toti humano generi annunciando: *Rom.* XVI,25. *Galat.* I,12. *Ephes.* III,3. Cognitio Dei omnibus fidelibus necessaria hac voce notatur. *Ephes.* I,17. *Det vobis Deus Spiritum sapientiæ & revelationis* (ἀποκαλύψεως) *in agnitionem sui. Adventus Christi ad ultimum judicium*, omnibus omninò hominibus, qui sunt, fuerunt, & futuri sunt, conspicuus futurus, dicitur *Apocalypsis*, *Rom.* II,5. 1. *Corinth.* I,7. 2. *Cor.* XII, 1. 2. *Thessal.* I,7. 1. *Pet.* I,7. & 13, *item Cap.* IV,13. Sic etiam *patefactio filiorum Dei in extremo judicio* per hoc vocabulum exprimitur. *Rom.* VIII,19. Quin *Linguis*, quæ non ab omnibus, licet ab aliquibus, intelligi possunt, opponitur ἀποκάλυψις; & *cognitioni exactæ*, & doctrinis æquiperatur, 1. *Corinth.* XIV, 6.

Respondetur ad locum 2. Corinth. XII, 1.

Semel tantùm occurrit in N. T. hæc Vox, ubi de rebus ineffabilibus prædicari videtur. Raptum enim illum in tertium cælum 2. *Corinth.* XII,1. *Divus Paulus* ὀπτασίας καὶ ἀποκαλύψεις κυρίου vocat. *Sed* videtur tantùm: quia non solùm ἄῤῥητα ῥήματα, ἃ οὐκ ἐξὸν ἀνθρώπῳ λαλῆσαι 2. *Corinth.* XII,1.2.3.4.7. istis revelationibus notat: sed totam doctrinam Evangelicam, non tacendam, sed in Ecclesiâ publicè & perspicuè prædicandâ, hac voce indigetat, ut videre licet ex *Gal.* I, 12. Quin singularia quædam mysteria sibi revelata, sibique optimè nota, quale illud 1. *Corinth.* XV,51.52. & 1. *Thess.* IV, 16. 17. per istas ἀποκαλύψεις eò loci intelligit; ut ἄῤῥητα illa ῥήματα per ὀπτασίας, hæc verò mysteria per ἀποκαλύψεις expresserit.

Unde liquidò apparet, voculam hanc non nisi *rei manifestæ & perceptibili* tribui in Sacris.

Quomodo verò hoc Vaticinium dici poterit ἀποκάλυψις, si à nullo, omni etiam adhibitâ industriâ, accedente Spiritus S. mediato lumine, (quod semper præsupponimus) adhibitisque mediis interpretandi, intelligi potest? Quomodo dicemus *Revelationem*, si nihil est revelatum? & quomodo titulum *Retectionis* tuebitur, cùm adeò tecta creduntur omnia, ut à nemine retegi possint? Ergò vel hæc ipsa *Vocula* Assertum nostrum de possibilitate Explicationis hujus Libri abundè probat.

Argum. secundum à Causâ efficiente.

Accedit, quòd non *Apocalypsis* Hominis alicujus, sed *Jesu Christi, quam dederit ipsi Deus*, dicatur. Unde manifestum est, hanc prophetiam, non ex mente humanâ, falsa interdum pro veris concipiente; sed ab æternâ, falli nesciâ Sapientiâ, profluxisse, & agnoscere Au-

Autorem, nullâ mendacii labe, aut fallacis ſimulationis hypocriſi contaminatum, ſed ſanctum, veracem, & ſeriâ majeſtate verendum. Proinde nequaquam illorum ferenda eſt pervicacia, qui Apocalypſin κατ' ἀντίφρασιν ita dictam eſſe autumant: Apage! Nec enim vel in bonum Virum ejusmodi luſus & fallacia caderet, ut diceret, ſe quidpiam detexiſſe & manifeſtaſſe, quod tamen ſciret, ita obſcurum eſſe & inexplicabile, ut nullâ humanâ queat indagari induſtriâ; nedum in *Chriſtum*, ejusque Patrem, Deum optimum & veraciſſimum. Certè quæcunque Deus Pater, ejusque Filius in S. Scripturis dicuntur revelâſſe, illa etiam reverâ revelata ſunt, ut cuivis ſcrutanti Scripturas patere poſſint. Cur igitur Apocalypſin, quam tamen Deus, ejusque Filius revelaſſe dicitur, inexplicabilem, i. e. non revelatam crederemus?

Et *Officium Chriſti Propheticum*, hoc etiam requirit, ut futura annunciet: aliàs propriè à Sacerdotali officio non differret; quia & Sacerdotis eſt docere, non tantùm intercedere, ut patet ex *Malach.* II, 7. *Labia Sacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent ex ore ejus, quia Angelus Domini Exercituum eſt.* Et inſuper Eccleſiæ communicare debebat de plenitudine ſuâ, quia *dona acceperat pro Hominibus*, *Pſalm.* LXVIII, 19. *Ephes.* IV, 8 Hinc notanter dicitur, *Apocalypſis Jeſu Chriſti, quam dedit ipſi Deus.* Vocem Deus quomodo hoc loco accipiamus, οὐσιωδῶς, an verò ὑποστατικῶς, perinde eſt. Sunt enim omnes Perſonæ SS. Trinitatis ejusdem eſſentiæ, dignitatis, & gloriæ. Notatur enim, Futurorū præſcientiam Chriſto ſecundùm Divinitatem eſſe naturalem, juxta Humanitatem verò eſſe adventitiam & gratuito donatam. Simulque voculâ *Deus*, modus hujus revelationis humanæ Chriſti naturæ factæ, oſtenditur: quod nimirum per Unionem Perſonalem mox à primâ conceptione hæc ipſi donata ſit præſcientia, licèt in Statu Exinanitionis eâ Chriſtus ſecundùm humanam naturam uti noluerit; ſed demùm exaltatus, ad Dextram Dei ſedens, in gratiam & commodum Eccleſiæ, eâ utatur. Unde videtur vox Deus hîc *Deum Patrem* notare, & ὑποστατικῶς ſumi debere: quia ad Mediatorium Chriſti reſpicitur Officium, & exaltationis Statum. Quicquid enim Pater donat Eccleſiæ, ponit in Filio, qui eſt *Caput Corporis ſui. Epheſ.* I, 23. & à Patre accipit omnem poteſtatem, & omne judicium in cœlo & in terrâ, quatenus Filius Hominis eſt, In quo etiam *complacuit omnem plenitudinem habitare*,

Arg. 3. ab Officio Chriſti.

Co-

Coloff. I,19. Cui etiam *Spiritus non datus est ad mensuram, Joh.* IX, 33. ut scilicet *de plenitudine ejus omnes accipiamus, Joh.* I, 16. quia *singulis pro beneplacito suo distribuit, Ephes.* I, 8. Cùm itaque præscientiam Futurorum, ut Donum, secundùm Humanitatem Christus à Patre acceperit, æquum est, & divinum placitum, ut de illo ipso dono, pro beneplacito suo distribuat Hominibus; hancq; præscientiam pro mensurâ Ecclesiæ suæ communicet; utpotè quæ, ut ipsius Sponsa, de omnibus ejus Bonis (quæ ejus est ineffabilis charitas) participat. Id autem in hoc Libro Apocalyptico præstare dicitur. Ergò jure meritoque concludimus, esse etiam illam præscientiam Ecclesiæ communicatam in hoc Libro, (nimirùm *secundùm mensuram*) & proinde eum esse explicabilem: alioquin enim nulla esset facta communicatio.

Vis hujus Argumenti clariùs patet è *Versiculo quinto Capitis quinti*, ut & è *Versiculo nono ejusdem Capit.* Ubi Apertio Libri obsignati, & Solutio septem Sigillorum, Christo adscribitur, propterea, quia mactatus sit & vicerit, & proinde dignus sit, qui aperiat Librum, & solvat ejus Signacula; id est, patefaciat arcana Ecclesiæ suæ.

Arg. 4. ab Intentione Revelantis.

Et quid multis? Additur expressè, in quem finem data sit Christo hæc Apocalypsis; nimirum, *ut ostendat servis suis*; δεῖξαι τοῖς δούλοις ἀυτȣ̃. Quæ verba nos de Voluntate & Intentione Dei certiores faciunt, quòd scilicet hanc Apocalypsin non obscuram, sed servis suis intelligibilem esse voluerit; alias enim servis suis ostenderetur nihil, si esset inexplicabilis. Cum autem de *Velle* Dei constat, impietatis est de *Posse* dubitare: *dato autem Velle & Posse Dei, meritò ad esse concluditur.* Quod Argumentum tantæ soliditatis est, ut vel solum contradicentibus satisfacere possit.

Arg. 5. à Scopo hujus Libri.

Ne tamen quis hanc Revelationem & patefactionem arcanorũ ad doctrinas & Articulos Fidei, nonnullibi in hoc ipso Libro perspicuè traditos, restringat; additur: *Quæ oportet fieri cito.* Ex quibus verbis oppidò liquet, sermonem & intentionem Dei esse de rebus in Ecclesiâ futuris: *Futuris*, inquam, non præteritis: quò præscire possent servi Dei, quid expectandum sit Ecclesiæ, quid non. Quia *non faciet Dominus Deus verbum, nisi revelaverit secretum suum ad servos suos Prophetas.* (*Amos.* III, 7.) Cùm itaque futura, & fata imminentia docere debeat, & possit hic Liber, utique erit industriâ humanâ pervestigabilis: alioqui scopum hunc assequi non posset. Quod

Quod magis etiam claret, si insignem hujus Vaticinii Fructum, in hac ipsâ Inscriptione indigitatum, paulò penitiùs expendimus. Addit enim Spiritus S. *Beatus qui legit, & beati qui audiunt verba Prophetiæ hujus, & servant ea, quæ in eâ scripta sunt.* Neminem adeò stultum esse puto, ut lectione non intellectâ, & auditu solius soni, absque sensûs intenti perceptione, hanc beatitatem nancisci se posse existimet? Legere enim, & non intelligere, est negligere! Certè non meritoriè, sed organicè explicanda sunt hæc verba; quòd nimirum attentâ lectione, meditatione, ut & studioso auditu, & observatione hujus Revelationis, non mereamur hanc beatitatem, sed per illam ceu instrumentum aptissimum ad hanc spiritualem felicitatem perducamur. Tum demum autem Verbum Dei Hominem beatum reddit, cùm intelligitur & observatur: quæ verò non intelliguntur, neque scientiam sanctam, neque fidem gignere possunt, neque etiam observari, & per consequens nec Hominem beatum reddere. Cùm igitur legentes, audientes, & observantes hanc prophetiam, beatos pronunciet Spiritus S.; eo ipso statuendus est asserere, posse legentes, si velint, adhibitâ industriâ, accedente suo lumine, hujus Libri contenta intelligere; nisi ipsum nugatum esse, blasphemè putare velimus. *Arg 6. à fructu hujus Vaticinii.*

Additur præterea *Ratio hujus patefactionis*, quòd scilicèt *Citò fieri debeant*; & quod *tempus propè sit.* Quâ ratione docetur, Servos Dei, seu Fideles, olim non opus habuisse hac manifestatione, cùm illa ab istis fuerint remotissima, nullumque, aut certè exiguum, patefacta præstitissent usum: nunc verò cùm immineant, eâ retectione in usum Ecclesiæ opus esse. Adderetur autem frustrà hæc ratio, si adeò obscura esset Apocalypsis, ut explicari non posset: sive enim propè, sive remotum esset tempus mutationibus obnoxium, perinde esset quoad hanc Visionem; nihil enim momenti adferret Ecclesiæ obsignata, & non intellecta. Huic Argumento non exiguum pondus additur, si conferamus *versum 26. Cap.* VIII. *Prophetæ Danielis;* ubi Danieli præcipitur, *ne propalet Visionem sibi oblatam, quia multum adhuc temporis ad ejus complementum usque superfit.* Unde è contrariâ additâ ratione contrarium etiam possumus concludere. *Argum. 7. ab additâ Ratione.*

Addo unum adhuc; nempè Johanni expresè prohibitum fuisse, *ne obsignaret verba Prophetiæ hujus*, i. e. ne nimium obscurè scriberet. *Argum. 8. à Mandato Johanni dato.*

Apoc. XXII. *v.* 10. ret, sed ita ut possit intelligi: & ea ipsa, quæ hîc in inscriptione habetur ratio, quòd videlicet tempus propè sit, *ibidem* additur. Jam si contulerimus ea, quæ habentur *Dan. XII. v. 9.* manifestè apparebit, Apocalypsin esse humanâ industriâ explicabilem. Si enim Liber, qui obsignatus esse dicitur, tandem tamen est explicandus, multò magis ille, qui obsignari prohibetur.

Ex quibus omnibus simul sumtis, & singillatim perpensis, firmi-
„ ter concludimus, posse Fideles in hæc arcana Sacra & mysteria,
„ divinitùs, ex singulari erga Ecclesiam amore, revelata, industriâ
„ suâ, Spiritu S. clementer cooperante, Mediis legitimis ritè adhi-
„ bitis, penetrare, & ex iisdem haurire fructum uberrimum. Nolo itaque in hoc probando prolixior esse: sed *Num etiam fas sit in ista Arcana se ingerere, eaq; meditando scrutari*, dispiciam; id enim secundum erat quæsitum.

II. *Fas esse in hæc Arcana inquirere demonstratur.* *Proverb.* XXV. 27. Supervacanea equidem esset hæc Quæstio, nisi quorundã importunitas nobis facesseret negotium. Non desunt enim, qui scrutantibus hæc mysteria occinere nõ verentur illud *Salomonis: Scrutator Majestatis opprimetur à Gloriâ*: quasi, Revelationes divinitùs in Verbo patefactas meditari, earumque genuinum sensum eruere, esset, divinæ Majestatis abyssum scrutari. Immane quantum distant, otiosa Rationis humana speculatio, & sedula Verbi revelati meditatio. Multis etiam parasangis ab invicem absunt, mysterium in Verbo patefactũ; & absconditum, solique Omniscientiæ divinæ reservatum. Hoc ut indagari nullo modo potest, ita impia est omnis scrutatio: in illud verò inquirere, cùm in usum nostrum sit patefactum, lege divinâ tenemur, nî Bonorum à Deo nobis exhibitorum contemtores esse velimus insignes.

Sed quia horum judicium ex hoc promanavit præjudicio, quòd Apocalypsis nullo modo sit explicabilis, id autem in præcedentibus satis sit confutatum, non erit, quòd hîc diutius immoremur.

Sunt tamen *Alii*, qui quidem summa Ingenia, publicâ autoritate clara & conspicua ad hæc Sacra admittant; levis autem armaturæ milites ab illis omni studio arceant: putant enim, hos hoc scripto quàm facillimè in errores posse præcipitari inexplicabiles. Sed licèt fatendum sit, non cujusvis esse, hanc Spartam aggredi, & in sensum hujus Libri penetrare, plurima itidem extitisse fanatica ingenia,

quæ

quæ mirum in modum Vaticinium hoc torſerint, & puriſſimos illos Oraculorum divinorum fonticulos cœno erroris turpiſſimo, quantum in Ipſis fuit, conſpurcaſſe concedamus: attamen, cùm non tantū Lectores, ſed & Auditores hujus Vaticinii beatos prædicet Spiritus S. & ſic etiā lectionis ignaros admittat; nemo ab his myſteriis penſitandis & meditandis eſt abigendus: ita tamen, ne quid monſtri alat, aut contra fidem impingat, & ſibi denique ſoli ſapiat; niſi explicationem ſuam eſſe verām & genuinam, non modò ſibi perſvaſerit, ſed & aliis probare posſit; tum meritò in ædificationem Eccleſiæ publicè proponitur & recipitur. Adferat Animum ab erroribus vacuum, pium, Deumque reverentem, & precibus fuſis hæc aggrediatur Vaticinia, nihil tum periculi vel legenti, vel meditanti, vel exponenti etiam erit extimeſcendum, niſi hoc unicum, ut propter Veritatem, Mundi ac diaboli Odium ſit experturus, &, ſi Deus permittit, perſecutiones etiam: quæ tamen pericula ſusque deque habenda ſunt. Aliàs nihil habet, quod metuat. Ad omnis generis homines, ex quo ſcripta eſt, pertinet hæc Revelatio. Ingeminat enim ſæpiùs Spiritus S. *qui habet aures audiendi, audiat!* & ad legendum, audiendum, & obſervandum hoc vaticinium, ſeriò invitat. Nemo itaque ab iſtius meditatione Nos abſterrebit!

Reſtat, ut pauca *de Utilitate* hujus Explicationis addam, quæ erit multifaria.

Primò enim, genuino eruto Senſu facilius & certiùs Doctrinas in eo contentas elicere poterimus; quàm ſi ambiguæ & dubiæ relinqueretur expoſitioni ſenſus literalis. III. *Utilitas explicatæ Apocalypſeos.*

Secundò, Providentiæ divinæ, & certitudinis Fidei noſtræ, ſeu Religionis, argumentum præbebit luculentisſimum. Quis enim neſcit, etiā pios homines & eruditos, ignita Satanæ tela perpeſſos eſſe ſæpisſimè, ut licèt de providentiâ divinâ, deque veritate fidei Chriſtianæ haud dubitarent; ſed ea conſtanter, ad extremum uſque halitum, uti & debuerunt, crederent, tamen cavere non potuerint, quin ejusmodi impiis, & in Deum ejusque Verbum ſummè injuriis cogitationibus, momentaneo licèt motu, & cum horrore, cumque deteſtatione, appeterentur: Unde ſcis hæc omnia eſſe vera, quæ in Bibliis legis, & quæ credis? Certè, nec Prophetam, nec Apoſtolū, nec

Christum unquam vidisti; quin ne miraculis quidem convictus es, ut credas, quæ credis! Quid si omnia essent conficta? quemadmodum impura Muhammedis dogmata ab Ipso esse excogitata scimus! Nefanda & blasphema sunt hæc cogitatu, præsertim si mens diutius suggestionibus illis pravis & diabolicis immoretur: interim tamen negari nequit, non tantùm Atheos, qui solùm Religionem & pietatem foris simulant, intus verò & in cute nec Deum, nec Verbum ejus, nec Religionem ullam curant, his cogitationibus tentari; sed etiam pias mentes, quibus nihil antiquius est, quàm ut verbum Dei in summo habeant pretio. Possem in hujus rei fidem testimonia Virorum in Evangelicâ nostrâ Ecclesiâ maximâ Autoritate pollentium adducere, ubi beatæ illæ animæ sibi ipsis hoc accidisse cum dolore recensent, seque à Satanâ esse tentatos non erubescunt fateri: nisi vererer, ne ab ipsorum & Ecclesiæ hostibus in illorum raperetur contemtum. Ego certè memini, me puerum adhuc illud ipsum in scriptis istorum Autorum legere, & ex animo exhorrescere. Nondum enim tum temporis Satanæ sævitiem, quâ piis infestus est, noveram, & hinc fieri non posse judicabam, ut mens pia ejusmodi cogitationibus, momentaneis licèt, sollicitaretur. Ast ubi maturior ætas, & diligens Voluminis Sacri evolutio, accuratior etiam rerum sacrarum & mysteriorum divinorum meditatio successit, satis expertus sum, quid valeat ille μυριοτεχνίτης. Non quòd ejusmodi cogitationibus vel ad momentum cesserim; sed cavere haud potuerim, ne invito etiam, easque detestanti inciderent: præsertim ubi Papicolarum Objectionibus, quibus Autoritatem Scriptura S. sufflaminare student, erat obviandum. Quas enim alias cogitationes gignere posset inutilis illa, & in contumeliam Scripturæ S. excogitata quæstio: *Evangelium Matthæi, unde scis esse Matthæi, esse Apostoli?* quàm summè impias, & in Deum injurias. Contra ejusmodi Cogitationes igitur Mens obfirmari debuit, & quid iis opponi posset, quibusque armis possent profligari, cogitandum fuit. Sensi autem, inter alia Apocalypsin non exiguam contulisse symbolam, quò ejusmodi diabolicæ suggestiones possent fugari. Futura enim docet, quæ confingi non poterant: & Providentiam divinam Ecclesiæ exhibendam describit, quam ipsi oculis hodiè cernimus, quòd eo modo se exerat, quo ante mille & sexcentos annos est prædicta. Quo ergò ac-

accuratiùs exponetur Apocalypſis, eò copioſius hunc fructum nobis largietur, nosque in fide & Religione noſtrâ abundè confirmabit. Ubi enim ea fieri videbimus, quæ tanto tempore prædicta eſſe ſcimus, divinam Numinis providentiam gaudentes agnoſcemus, illamque proni reverenter adorabimus. Et cùm Apocalypſis ab omnibus libris Biblicis fermè cùm res, tùm phraſes mutuetur, ejus per complementum prædictionum oſtensâ divinitate, de reliquorum autoritate canonicâ non dubitabimus; licèt de illorũ Autoribus ſecundariis videamur tantùm habere fidem hiſtoricam, utpotè à teſtimonio Eccleſiæ profectam. Eſt enim Apocalypſis ultimus liber Sacri Voluminis, & ultimò conſcriptus, & ceu Sigillum Codici Biblico appenſus: brevitèr ergò, mirâ admodum methodo, futura deſcribens, præterita, quæ in reliquis habentur libris, repetit, eaque ſcopo ſuo accommodat.

Tertiò. Ad hunc Librum dextrè explicatum, tanquam ad judicem poſſumus provocare in Controverſiâ illâ hodierno die tantâ contentione agitatâ: *Ubinam ſcilicet vera Eccleſia Chriſti inveniatur?* Tunicam enim Salvatoris inconſutilem, quia non ſcindi debere certò ſcimus, quisque eam ſibi rapere ſtudet; & ſæpisſimè ii, qui nihil minus ſunt, quàm veræ Eccleſiæ membra, nil niſi *Eccleſiam* plenis buccis crepant. Hæc autem Chriſti Sponſa dilectiſſima vivis depingitur coloribus in hac Apocalypſi, tantisque & tot monſtris vexata producitur, ut in calcaneo cerebellum geſtare credendus ſit, qui eam eſſe hodiernam Pontificiorum conglomerationem ſtatuerit. Jezabel Baalitas fovens, & Miriam Domino cantans, Thais item & Lucretia, non tam diſpares ſunt, ac vera Eccleſia, & Clerus Romanus. *Increpet Me Spiritus S. ſi poteſt*, clamabat olim *in Colloquio Ratisponenſi Gretſerus Jeſuita*, Bibliorum Codicem menſæ illidens. Sed ſe ſuosq; cum toto Clero Romano, Romanoque Pontifice, ſat acriter increpatos impudens homo compertus eſſet, ſi modò ſenſum hujus vaticinii ipſi aſſequi fuiſſet datum. Roma certè in hoc Libro ejusmodi ornatur elogiis, ut eam nemo, niſi Chriſtum, ejusque Verbum & Eccleſiam odiſſe velit, diligere, & magni facere poſſit. Dignus igitur hic Liber, qui hodiè aſſiduè legatur, teratur, ac ruminetur, utpotè qui veram nobis Chriſti Sponſam digito quaſi monſtrat, & ab Antichriſto & Pſeudoprophetâ, quos graphicè depingit, cavere jubet.

Quartò : Docetur Ecclesia de Sorte suâ; & ut, non ad delicias & halcyonia, sed ad certamina fortitèr sustinenda se accingat & præparet, admonetur.

Quintò : Ne Pii offendantur, & in fide titubent, si tanto agmine persecutiones ingruere, tantoque tempore durare viderint, utilissimum erit fata imminentia prænosse. In hunc finem Salvator noster Discipulis suis non modò suam Crucifixionem, sed etiam, quæ ipsis sustinendæ erant, persecutiones prædixit; ut habetur *Joh.* XVI, 1. *Hæc locutus sum vobis, ut non scandalizemini.*

Sextò : Utile erit nosse, quæ fata Ecclesiam pressura sint, ut maturè rebus nostris prospicere queamus, ne frustra tentemus Deum, periculum amantes, & posteà carnis imbecillitate victi, in periculo succumbamus. Plures certè in Evangelicâ Doctrinâ constantes per mansissent, si tempori credere potuissent, persecutiones invalituras, & multo tempore duraturas esse: quia verò meliora semper speraverunt, tandem tristi suo lapsu docuerunt, quam utile sit pericula imminentia exactè ponderare. Ea enim est natura hominum, ut ægrè à locis, in quibus educati & enutriti sunt, avellantur. Hinc ubi Veritatem exterminari conspiciunt, ingemiscunt quidem, sed simul se inani spe lactant, Deum scilicèt non commissurum, ut Verbum ejus opprimatur, sed auxilium illum certò certiùs laturum sperant, & sic in periculosis illis locis tamdiu permanent, donec vel Cultus sæpius visus sponte placeat, vel nulla posteà fugiendi restet libertas. Ast si mox ab initio sibi persvadere possent, metuendum esse, ut, nisi Ipsi, eorum tamen Liberi, seducantur, & iram divinam, æternamque damnationem incurrant; tum rebus suis aliter consulerent, &, vel cum damno, vel etiam absque damno rerum terrenarum, loca ista periculosa vitarent, & in tutiora se reciperent. Et ob hanc causam futura mala etiam prædicta sunt, ut patet ex admonitione Salvatoris, cùm de excidio Hierosolymitano vaticinans Danielis prophetiam commendat; quò scire possint fideles, quando fugere necessum habeant.

Cùm itaque hoc Vaticinium ultima nobis tempora proponat, eaque sat tristia, & persecutiones prædicat longo tempore duraturas; Utile est utique illud exactè nosse, ut ingruentibus periculis maturè effugere possimus.

Et *Septimò* deniq; : Quilibet ista præsciens, Ecclesiam laborantem, & parturientem ardentioribus precibus poterit juvare.

Reliquas Utilitates, Omni Verbo Dei cum hac Prophetiâ communes, jam lubens prætereo.

Si ergò genuina hujus Libri explicatio tantum usum præstare potest; sique præterea, divino adjuvante Numine, est explicabilis; & insuper etiam explicare licet; uti hæc omnia jam demonstrata sunt, non laterem lavabimus, si ejus Explicationi erimus intenti.

CAPUT IV.

In Causas inquirit, Cur hic Liber adeò obscurè sit conscriptus?

Hactenùs demonstratum est, Apocalypsin esse explicabilem, & propterea conscriptam, ut Ecclesiam de futuris periculis erudiat: cùm autem tam difficilis sit expositionis, ut Doctissimis etiam facessat negotium, haud immeritò quæritur, *Cur istis involucris & obscuritatibus uti voluerit Spiritus Sanctus?* Singulari enim consilio & certis de causis id factum esse, nulli ambigimus. Si enim absque his integumentis foret, faciliùs scopus intentus obtineri potuisset.

Variæ autem à variis afferuntur Causæ: ut & in hac ipsâ quæstione Veritatē in profundo puteo latere, fateri necessum habeamus.

Ad retundendam Superbiam, & detergendum fastidium, istas Obscuritates adhibuisse Spiritum S. opinatur *B. Augustinus*, sic scribens: *Multis & multiplicibus obscuritatibus & ambiguitatibus decipiuntur, qui temerè legunt, aliud pro alio sentientes, quibusdam autem locis, quid vel falso suspicentur, non inveniunt: ita obscurè quædam dicta densissimam caliginem obducunt. Quod totum provisum esse non dubito, ad edomandam labore superbiam, & intellectum à fastidio revocandum, cui facile investigata plerumq; vilescunt.* Et paulò post: *Magnificè & salubriter Spiritus S. Scripturas Sacras modificavit, ut locis apertioribus fami occurreret, obscurioribus verò fastidia detergeret.* *Lib. II. Doctr. Christ. col. 22. & 23.*

Alii

Alii *propter Periculum*, quod Ecclesiæ, ob Vaticinium, si clariori stylo constaret, à Dynastis & Potentioribus Mundi timendum erat, Spiritum S. prudenter his obscuritatibus suis Fidelibus, quo tutius inter infideles degere possent, consuluisse putant. Ethnici enim legentes (quæ horum est sententia) suum interitum in hoc Libello prædici, & indies à Christianis expectari, hos ut Reipublicæ hostes juratos sævius fuissent persecuti, deque omnimodâ Christiani Nominis extirpatione consilium iniissent; quin ipsum Libellum penitùs sustulissent, & Ecclesiam hac Prophetiâ ad minimum fraudassent. Id ne fieret, his ænigmatibus, ceu cautione quadam, opus fuisse dicunt.

Alii *Carnalis Securitatis fomentum hoc modo tolli* existimant. Esse etenim Calamitates prædictas; temporis verò momentum reticeri; quo quavis horâ parati hostem expectemus, & nunquam non ad conflictum accincti, arma spiritualia perpetuò induti, in acie stemus: cùm dies & hora imminentis mali nos lateat.

Alii alias comminiscuntur Causas. Sed ut dicam, quod res est, nulla nec harum, quas recensui, nec earum, quas hactenùs vel legere, vel audire contigit, Mihi satisfecit.

Prima utique *Sententia* mera est conjectura, & admodùm debili nititur talo, ita, ut eâ facilitate, quâ asserta est, etiam possit rejici. Et ut aliquibus in locis obscurioribus Scripturæ S. hanc rationem admitti posse concesserim, hîc tamen locum invenire vix autumo: cùm præsertim non sententia aliqua, aut pars Libri μερικῶς obscuritate laboret; sed de totâ Prophetiâ in hoc libro contentâ ὁλικῶς sit quæstio.

Neq; vero simile videtur, Deum ad periculum imminens præcavendum, his integumentis uti voluisse: cùm Ipsius Omniscientiam latere haud poterat Ethnicorum furor subsequens, qui nullis Christianorum protestationibus, nullis apologiis, nullis innocentiæ signis evidentissimis, nullis deniqùe officiis deliniti, Christianos cane & angue pejus odio habuerunt, etiamsi nihil de his Arcanis Apocalypticis nossent; quin Rebellionis & omnium flagitiorum crimina Fidelibus impegerunt, fanatica & impia dogmata ipsis affinxerunt, &, si per ipsos stetisset, Christianum Nomen funditùs extirpassent, totamque Ecclesiam devorassent. Id quod etiam nostra

Apocalypſis ſic futurum, ſub inſigni Mulieris gravidæ & parturientis, à Dracone ſepticipiti crudelitèr infeſtatæ imagine, ad oculum monſtrat. Anne igitur iſtos furores his obſcuritatibus lenire, & avertere voluit Spiritus Sanctus? Non puto. Humanum, & Majeſtate ac Omnipotentiâ divinâ indignum quid ſapit iſte metus! Et ſanè, absque providentiâ divinâ, & ſingulari Numinis tutelâ fuiſſet, non modò Libellum hunc Apocalypticum, ſed tota Sacra Biblia, quanta quanta ſunt, hoſtis Dei & Eccleſiæ atrociſſimus Dæmon, per inſtrumenta ſua penitùs ſuſtuliſſet; utpotè quæ ejus technis & fraudibus maximè adverſantur, ejusque regnum deſtruunt. Qui igitur, inter ſæviſſimos Diaboli conatus, reliqua Biblia ſarta & tecta conſervare poterat, an obſecro in hoc Libello defendendo ſuæ diffidebat Omnipotentiæ, ut ænigmatibus, ceu ſtratagemate quodam, fallere opus haberet? Et qui fortunas omnes, Vitam denique ipſam, Confeſſores ſuos, ob ingenuam Veritatis profesſionem profundere jubet, an ipſe in hoſtium gratiam mutiret? ne ſcilicet aliquid periculi iſtâ doctrinâ crearetur profitentibus eam? Cùm potiùs Verbi divini mos ſit, Mundum palàm arguere, & tumultus (licèt non per ſe, ſed per accidens) excitare? Quid? quòd non tantùm Ethnicorum interitus, ſed & Papalis idolomania & condemnatio, quin Turcarum furor in hoc Vaticinio deſcribatur. Si ergò ob eam cauſam, ne apertâ ſcriptione Fidelibus periculum accerſeretur, obſcuritate laborat; tum non tenebimur apertè contradicere Pontifici Romano, ejusque falſis dogmatibus, quin ne Turcarum quidem blasphemiis, ſi ex ejusmodi apertâ confesſione & contradictione aliquid mali metuimus oriturum, ne Nobis ſcilicet gratis accerſamus periculum; ſed ſufficiet vel mentalis condemnatio, vel æquivocus luſus. Quàm autem Chriſtus ab ejusmodi metu Chriſtianorum & hypocriſi abhorreat, ita ut etiam ejusmodi meticuloſos coram Patre cœleſti negaturus ſit ſe noſſe, notius eſt, quàm ut operoſâ indigeat probatione. Abſurdum igitur eſt, hanc ob cauſam Dominum Apocalypſin perplexam & obſcuram eſſe voluiſſe. Quid? quòd ipſa Apocalypſis hunc reſpuat metum. Cum enim *Cap.* XXII. v. 10. Johannes prohiberetur obſignare Librum, mox *v.* 11. additur: ὁ ἀδικῶν ἀδικησάτω ἔτι, quaſi dicat: etiamſi quis propterea nocere velit Eccleſiæ, noceat, ut lubet; nihilominus tamen ob iſtud damnum non decet obſignare hunc li-

brum. Rationem ergò eam, primâ fronte plausibilem, & carni admodùm gratam, penitiùs verò consideratam, à scandalo haud immunem, rejicio.

Tertia opinio, quæ ex prædictione futurorum carnalem metuit securitatem enascituram, itidem imaginaria est, quam hoc in loco operosiùs refellere nolo; dabitur in sequentibus de hac materiâ dicendi uberior occasio. Unicum jam dico: Tacuisset potiùs, non subobscurè indicasset, quæ sciri noluisset divina Providentia nec ejusmodi lusus (ne quid gravius dicam) in Deum cadit, ut vaticinium aliquod proferat, ejusque sensum investigare seriò jubeat, nec tamen intelligi velit. Apage ejusmodi versutiam!

Causæ genuinæ Obscuritatis Libri.

Rem itaque exactiùs pensitans, tres potissimùm *hujus Obscuritatis Causas* invenio, quas ipsa indigetat *Apocalypsis*.

Prima.

Prima est: *Non Cuivis hoc scriptum est Vaticinium, sed solùm Servis Christi*: id enim ἐπιγραφὴ expressè profitetur; *Ostendere servis suis*. Quemadmodum igitur intentio Dei gratiosissima est, ut quivis Homo, quisquis sit, ad agnitionem Veritatis perveniat, & salutem æternam consequatur; ita etiam illa omnia, quæ ad fidem salvificam & bonos mores necessaria sunt, perspicuè satis & dilucidè in S. Literis tradere voluit, ut quivis ea vel legens vel legere audiens, illicò, (modò ne pessulum obdat malitiosè) percipere queat. Ex adverso verò mysteria de fatis Ecclesiæ, cùm solos Servos Dei, utpotè veros Civitatis Sanctæ Cives attineant, & Impii indigni habeantur, qui ejusmodi Arcana, in solatium Ecclesiæ conscripta, vel sciant, vel credant, paulò implicatiori Stylo exarata sunt, & peculiare aliquod donum divinitùs dandum in enucleando requirunt. Aliàs si expressè, absque omnibus integumentis hæc essent prolata, tàm digni, quàm indigni ea intelligere potuissent, neque ullâ prærogativa Servi fideles præ impiis gauderent. Quod autem Deus Servis suis hunc honorem habere velit, ut futuros rerum arduarum eventus prænoscant, Exemplis Abrahami, Josephi, & Danielis claret. Latet ergò sub hoc velamine Thesaurus solis Servis Christi fidelibus debitus. Cùm autem omnes omninò homines tales esse Deus seriò velit, omnes omninò quidem ad lectionem invitat; sed cùm isti tales esse nolint, ab arcanorum nucleo hoc putamine eos arcet.

Non equidem sum nescius, Prophetiæ ut & Sacram Scripturam interpretandi, donum, cadere etiã posse in homines impios, qui Servo-

vorum Christi nomine haud digni sunt: sed istud huic nostræ Sententiæ nihil derogat. Fruuntur interdum bonis Ecclesiæ, qui tamen non sunt de Ecclesiâ; & in gratiam fidelium non rarò externis donis ornantur infideles, quò serviant Fidelibus: & occulta nonnunquam homini profano revelat Deus, non tam ob ipsum, quàm ob servos suos. Somnia sanè Pistoris & Pincernæ in Ægypto ipsorum quidem Personas, vitam & dignitatem attinebant, sed isti futuri eventus, non propter ipsos, sed propter Josephum, nec tàm propter Josephum, quàm ob totam Israelis domum, revelabantur. Sunt itaq; infideles & impii tantum instrumenta, quorum ministerio utitur Deus ad benefaciendum Servis suis.

Interim quod Apocalypsios interpretationem concernit, ad minimum ab Interprete requiritur *fidelitas Ecclesiastica*, i. e. ut sit membrum illius cætûs, qui veram profitetur Doctrinam, & ab Antichristi *Avæpiais* alienissimus; & sic saltèm, quoad externam conversationem & professionem Religionis sive doctrinæ, sit Servus Christi: quanquã mihi persvadere non possum, ut credam, hominẽ impium in hæc Sacra esse penetraturum, ita ut interpretẽ agat horũ Arcanorum, aliisque recludat hoc ostium, quantaquantâ etiam polleat sapientiâ.

Secundam Obscuritatis hujus causam monstrant nobis ista verba: *Quia tempus prope est.* Quibus monemur, non omni tempore necessum vel utile esse, præscire futura pericula; sed tum demum, cùm jam quasi præ foribus nos manent, & jamjam irruitura sunt: quod etiam ex Daniele ad oculum patet. Cùm enim Propheta ex Angelo quæreret, quid posteà futurum foret, responsum accipit, esse id obsignatum, neq; fas sciri, sed ultimis temporibus venturos homines multos, qui ex hoc ipso Vaticinio magnam eruituri sint sapientiam. Monet ergò Prophetam, non propter ipsum, sed propter Fideles ultimis temporibus viventes, has ipsas Visiones ipsi esse ostensas: unde etiam genuinus illarum intellectus, istis temporibus, sub velamine obscuritatis, reservabatur. Si jam universam Apocalypsin penitius intuemur, fatendum nobis erit, ejusmodi actus prædici in eâ, qui potissimũ ultimis temporibus erant adimplendi, quorum præscientia Primitivæ Ecclesiæ non adeò, nec æque necessaria erat, ac nobis, quorum capitibus ista prædicta pericula imminent. Voluit ergò Deus ea nobis revelare, ut & nostris temporibus Donum Prophetiæ in Ecclesiâ vigeret: sed cum non novis

Secunda causa.

revelationibus regere Ecclesiam, sed solis Apostolis hunc honorem habere vellet, ut nulla post istos nova daretur Prophetia, per illos ipsos prædicenda prædixit, eo tamen artificio, ut non nisi suis temporibus, quibus potissimùm dicatæ erant istæ Visiones, nimirum ultimis, possent plenariò intelligi. Et hoc ipsum Apocalypsis non uno in loco satis evidenter innuit, uti postmodum, cùm ea loca attigerimus, ostendemus. Solet equidem interdum Deus, licèt rarissimè, magnarum & arduarum rerum eventus planè extraordinario modo suis Electis revelare; cujusmodi sunt vaticinia Johannis Hussi, & Johannis Hiltenii, Aliorumque. Sed nemo certus esse potest, ejusmodi vaticinia proficisci à Spiritu Veritatis, & certo certius esse eventura, priusquàm eventu comprobantur. Ad solas enim Canonicas Scripturas, tanquam ad testimonium Jehovæ ablegamur; non autem ad ejusmodi prophetas. Hinc licet Deus nonnunquam eorum operâ utatur, tamen saltem à posteriori ejusmodi prædictiones dijudicantur, & tum demum post eventũ suam præbent utilitatem. Longè autem aliter prædictiones Apocalypticæ se habent, quæ in eum finem revelatæ sunt, ut de futuris imminentibus præmoneant; hinc indubitatam eas gignere fidem oportebat, & propterea ab Apostolo aut Prophetâ erant proferendæ, quò canonicâ gauderent autoritate: Obscuritate autem venerabiles esse conveniebat, donec suo tempore exponerentur.

Superest tamen adhuc *Causa tertia*, quæ *à Scopo hujus Libri* desumitur; is autem est *ἀποκάλυψις, revelatio, sive retectio futurorum*, non quorumlibet, sed eorum, quæ antea in Veteri Testamento à Mose & Prophetis sparsim erant prolata: illa ipsa in hoc Libro colliguntur, & in aptissimum ordinem rediguntur, adeoque novâ luce collustrantur. Nihil enim in hoc Libro prædicitur, quod non prædictum sit alibi in Veteri Instrumento: licèt illæ prædictiones, utpote typicæ, in hoc vaticinio demum lucem accipiant, & absque hoc libro fuisset, nullo modo, etiam post eventum, intelligi potuissent. Decebat enim Apostolos nihil proferre extra ea, quæ concionati fuerant Prophetæ, prout loquitur *Sanctus Paulus*, *Actor.* XXVI, 22. nisi ut individuo certo, Jesu nimirum Nazareno, conciones propheticas applicarent, & quæ typicè & obscurè dicta erant, apertè proferrent. *Fuit enim Novum Testamentum in Veteri velatum, Vetus verò in Novo revelatum*, quæ sententia est *B. Augustini*.

Dum

Dum autem colligit, & in unum contrahit Apocalypſis varia Veteris Teſtamenti vaticinia, eaque tum ordine, tum additâ aliquâ explicatiunculâ illuſtrat; neceſſariò primâ fronte aliquam obſcuritatem minatur, cùm ob brevitatem, tùm ob typicam varietatem: ea tamen Obſcuritas valde eſt neceſſaria & utilis, quia eſt remisſiva. Remittit enim Lectorem ad Vetus Inſtrumentum, & dilucidè monſtrat, quid hoc vel illo Typo olim intenderit Spiritus S. Nec primus ſic ſentio: adverterunt hoc & Alii. Sic enim *Conradus Graſerus* in Comment. quem *Plagam Regiam* vocat, *in præfatione*: *Hoc omnibus perſvaſisſimum eſſe velim, potisſimam Scripti hujus partem ex Veteri Canone, ad verbum quaſi deſcriptam eſſe, eâ nempe ratione, ut Spiritus S. in ſingulis Viſionibus ad certas prophetias utriusq; Inſtrumenti datâ operâ, & quaſi extra ordinem alludere videatur. Cujus rei (dicam enim hoc obiter) has mihi cauſas habuiſſe videtur: Primùm nempè, re ipsâ demonſtrare voluit Veteri Canoni nihil ad perfectionem deeſſe, eumq; ſolum ad neceſſarium Eccleſiæ inſtructionem omnibus temporibus ſufficere potuiſſe, ſi modò rectè applicetur. Deindè exiſtimo, eum hac ipsâ tam conſpicuâ imitatione voluiſſe oſtendere, in Veteris illius Canonis conſcriptione Eccleſiæ etiam Catholicæ debitam rationem fuiſſe habitam, ut ejus FATA, partim ſub veteris Iſraelis typo, partim etiam citra hunc ex profeſſo, in illo explicata ſint, de quo ipſa textûs litera teſtatur.* Hæc ille in Præfatione, *Fol.* autem 7. dicti *Comment.* ſic ſcribit: *Repeto; Johanni NIL NOVI hîc revelari; ſed ea per illum repeti, quæ alibi Deus Opt. Max. per Prophetas & Apoſtolos annunciari curaverit. Sic etenim in meditullio hujus Revelationis proteſtatur, per ſeptimi Angeli clangorem, illud Dei myſterium conſummatum iri, quod Sanctis ſuis Prophetis annunciârit. Quibus verbis manifeſtisſimè indicat, Spiritum S. in veteri Prophetiâ Eccleſiæ etiam Catholicæ rationem habuiſſe, & fata ejus diligenter deſcripſiſſe. Quod ut magis confirmaret Spiritus S. prophetiam hanc fermè totam Veteris Prophetiæ antegresſis rebus & verbis deſignare voluit. Sed & in totius Operis Epilogo ſuper eâdem Dei omnium Sanctorum Prophetarum teſtimonium in genere allegat.* Hactenùs ille. Unde patet, neceſſariò in hoc libello veteres Typos repetendos fuiſſe, quæ quidem repetitio majoris lucis gratiâ facta, ex accidenti huic Vaticinio quaſdam tenebras inferre videtur, quæ tamen evaneſcent, Solisque jubar ſplendere facient, ſi debito modo removeantur.

Has Ego Obſcuritatis hujus Libri genuinas eſſe Cauſas judico, utpotè ex ipsâ Apocalypſi monſtratas: ſi quis tamen meliora monſtraverit, non gravabor calculum meum adjicere, & ob Veritatem poſſum quàm facillimè τὰ ἴδια ἀναίρειν. Confido tamen has poſſe ſubſiſtere.

CAPUT V.

Obſervationes quasdam recenſet.



Poſt inveſtigatas Obſcuritatis cauſas, priusquam ulteriùs progrediar, placet *Obſervationes* quasdam, futuræ explicationi inſervientes præmittere.

OBSERVATIO I.

Intentio Revelantis eſt, docere Fideles Fata Eccleſiæ futura, ut ea prænoſcant, priusquam eveniant.

Claret hoc ipſum ex fine prædictionum; qui utique aut nullus, aut certè perquàm exiguus eſſet, præſertim in prædictionibus Novi Teſtamenti, niſi præſcientiam aliquam gignere apta eſſent. Quin reverà non eſſent prædictiones, ſi datâ opera Revelator eas tantis involucris involviſſet, ut demum poſt eventum, & quidem non ſinè maxi-

maximo labore, & perplexâ ambiguitate, possent erui. Et militant hîc omnia Argumenta illa, quæ *suprà*, ubi de explicabilitate Apocalypseos egimus, adducta sunt.

Exempla præterea prædictionum ostendunt, eas insignem præstitisse utilitatem, ubi intellectæ fuerunt, priusquam complerentur; completas verò insuper fuisse habitas. Quem enim quæso usum præbuissent Somnia, Pharaoni divinitùs immissa, nisi explicationem nacta fuissent à Josepho ab ipso Deo illuminato? Cujus utique intentio erat, præmonstrare futuram annonæ vilitatem, & subsequentem ejusdem caritatem in Ægypto; & quidem non tàm in gratiam Ægyptiorum, quàm Populi sui, qui hac occasione in Ægyptum erat traducendus. Somnia itidem Josephi, quæ adhuc in Canaan, apud Patrem degens, somniaverat, ipsi propterea à Deo sunt immissa, quò fortunæ novercantis impetus animo fortiori sustineret, & in adversis, certus de auxilio divino, speraret lætiora. Quod & ipsum fecisse nullum est dubium, cùm Spiritum habuerit propheticum, & hinc ista somnia ab ipso Deo fuisse profecta, indubitatò sciverit. Quam θεοπρόγνωσιν seu προφητείαν si credere potuisset Jacobus senex, non tam graviter filium, ut extinctum, luxisset, nec ejus interitum imaginatus, tam facilè sibi à liberis imponi passus fuisset, sed spe de recuperando nato sua damna levasset. Sic Abrahamo, ejusque posteris Deus patefecit Annos Servitutis in Ægypto, ut divino solatio in ærumnis refecti, promissam eductionem patienter expectarent Israëlitæ, neque sub immanissimo tyrannidis jugo, animum desponderent. Cujus etiam memoriam ut Posteris suis, totique domui Israëliticæ refricaret Josephus; noluit ossa sua in Ægypto sepeliri, sed in Terram promissam, non illicò post obitum, ut Parenti suo ipse fecerat, sed demum in miraculosâ illâ eductione è domo servitutis, transportari jussit, & testamento id cavit. Eâ etiam de causâ septuaginta Captivitatis Babylonicæ anni à Jeremiâ, jussu divino sunt prædicti, ut Ecclesiæ Israeliticæ ista prædictio cederet in solatiũ, fidelibusque certissimum adversus omnis generis tentationes & dubitationes præstaret munimentum. Frustranea autem fuissent omnes ejusmodi præmonitiones, si demum post eventum innotuissent, neq; prius aliquam præscientiam de futuris fatis in animis piorum gignere potuissent.

Unde patet, cùm Vaticinia Apocalyptica nihil aliud ſint, quàm Prædictiones de futuris Fatis, Dei revelantis intentionem eſſe, ut eas exactè intelligamus, priusquàm ſortiantur complementum. Impleta enim & retrò acta minus nos afficiunt, exiguumque commodum præſtant, neque adeò impensè à nobis curantur, ut iſtorum gratiâ ſcrupulosè in ænigmaticas & ambiguas prædictiones inquirere placeat; cùm ejusmodi Actus ex Hiſtoriis liquidò innoteſcere posſint; ut nullâ ſit opus revelatione.

Non ergò probabilis eſt illorum Opinio, qui ſtatuunt, omnia prædicta jam eſſe adimpleta, cùm nemo hactenùs repertus ſit, qui nos de futuris ex hoc Vaticinio certiores fecerit, cùm tamen, ut de futuris eventibus erudiat Eccleſiam, maximè conſcriptus ſit hic Liber. Aut ergò Deus revelans hæc Arcana ſuo fruſtratus eſt fine, quem intendebat; aut multa, & quidem potiſſima, propter quæ hoc ipſum Vaticinium Eccleſiæ eſt datum, reſtant adhuc adimplenda.

Quod ipſum præjudicium Interpretem monebit, ne omnia, quæ in Apocalypſi prædicta eſſe reperiet, ad præterita referat: ſed ſapienti dijudicatione præterita à futuris ſecernat.

Ita etiam interpretatio inſtituatur, ut ex eâ evidenter appareat etiam ſub initium primitivæ Eccleſiæ futuros eventus, & omnem fermè hujus Libri methodum, totamque Prophetiæ œconomiam, tum temporis viventes præſcire potuiſſe; ſi modò dextrè hoc vaticinium tractaſſent. Licet enim Patribus illis primis neceſſariò Apocalypſis, *ut Capite primo* docui, fuerit obſcurior: methodum tamen & ordinem, æquè ac nos potuiſſent eruere, & quàm facillimè oſtendere, hæc hoc, illa illo tempore, & iſta iſto eſſe implenda; quamvis de circumſtantiis, utpote non revelatis, nihil potuiſſent addere, nec etiam Vaticinium intellectum rebus applicare: id quod nec nos, in illis, quæ adhuc futura ſunt, poſſumus. Ita enim ſtylum hujus Vaticinii attemperavit Spiritus S. ut verè futura, & nondum præſentia edocere queat fideles inveſtigatores.

Quæ itaque Methodus ita eſt implicata, ut illis primævæ Eccleſiæ Doctoribus haud poſſibile fuerit ſuo tempore iſtam monſtrare, ea eſt erronea; cùm quovis tempore eodem modo ſe habeat divina Revelatio, eodemque modo ſit explicanda: niſi quòd hodiè,

propter

propter nonnullos eventus jam impletos, certiores esse queamus de Explicationis veritate.

OBSERVATIO II.

Apocalypsis est Drama Propheticum, Historiam Ecclesiasticam repræsentans.

Vix quisquam hoc negaverit, qui modò Scriptum hoc diligenter pensitaverit, & actus diversos, diversasque personas in proscenium emissas, seriò fuerit contemplatus. Quæ ergò ibidem ostenduntur, meræ sunt repræsentationes, rebus & personis in Ecclesiâ, seu circa, & contra eam occupatis, accommodandæ. Hinc *Angelos*, quos Johannes sæpissimè videt, si quis urgeat, fuisse Angelos propriè dictos, quorum ministerio Deus uti voluerit ad res in Ecclesiâ gerendas repræsentandum, facilis id concedere potero: quia verò ibidem, tanquam in Dramate, certam personam sustinent, & actum in Ecclesiâ adimplendum repræsentant, *vox Angeli* in locis istis nequaquam in proprio significatu accipi debet, sed boni interpretis erit, quid illi Angeli repræsentent, seu quid per illos significetur, ostendere. Locum & usum etiam habet hæc Observatio in aliis: quin & ipse Johannes, cui hæ Visiones ostenduntur, non raro personã sustinet repræsentativam. Id quod inter alia ex *Cap. X.* manifestò apparet. Jubetur ibidem Johannes ab Angelo Librum apertum accipere, & comedere, quod etiam facit, sibique, post esum ejus ventrem esse amaricatum testatur. Jam autem nullum est dubium, istâ visione repræsentari actum, diu post Johannis Apostoli beatum obitum in Ecclesiâ adimplendum; necessariò igitur Johannes ibidem aliam sustinet personam. Quæ Observatio non parum lucis affert quibusdam in locis, si diligenter ad eam attendatur.

OBSERVATIO III.

Subjecta in Apocalypsi repræsentata, cognoscuntur partim ex Attributis & Prædicatis, partim ex locis Veteris Testamenti parallelis.

Si ullibi vetustissima Theologorum Regula: *Talia sunt Prædicata, qualia permittuntur esse à suis Subjectis; & vice versa*: observari debet, ut certè debet, profectò nec hîc erit negligenda. Occurrunt etenim plurima Subjecta typica, quæ primâ fronte non possunt cognosci: at si Prædicata colligimus, & subjectis istis applicamus, facile dignoscere possumus, quid figurent. Si præsertim Loca Veteris Testamenti parallela, ex quibus istæ Figuræ sunt desumtæ, oculo intento respiciamus. De inventis verò Subjectis talia sunt prædicanda, quæ ipsorum naturæ haud repugnant, sed bellè conveniunt. Interdum enim talia occurrunt Prædicata, quæ obscuriora sunt suis Subjectis, de quibus prædicantur. Quin etiam non raró Prædicata contraria, & pugnantia eidem Subjecto tribuuntur; & tamen nihilominus amicè conspirant, quia id diversus causatur respectus; Et tum phrases ex Veteri Testamento desumtæ accuratè sunt ponderandæ, & vaticinia prophetica, ad quæ alluditur, huc retrahenda; quo subjecta, de quibus Spiritus S. agit, possimus cognoscere, & hoc modo genuinum sensum eruere.

OBSER-

OBSERVATIO IV.

Unica interdum Figura, Res significat diversas.

Exemplum manifestum occurrit *Cap.* XVII. ubi *septem capita Bestiæ* figurant *septem Montes*, & simul etiam *septem Reges*; quemadmodùm ab ipso Angelo verbis perspicuis exponitur.

OBSERVATIO V.

Singulis Visionibus certa Temporis Periodus est assignanda; è Textu tamen eruta, & à Spiritu S. ostensa.

Temporis accuratam habendam esse rationem, jamdudum monui: hoc enim neglecto, nihil quàm meras conjecturas, & prophetias mortuas proferemus. Rectè enim *Crugotius in notis ad Apocalypsin* annotat: *Temporum certis cancellis circumscribenda est Apocalypseos explicatio, ut Spiritus S. certis figuris, Sigillis, Tubis, & Phialis, eam circumscripsit, ne vagâ applicatione Philosophum magis (qui quidvis cuivis potest applicare) quàm Theologum agere videaris.* Hæc ille. Sed Periodi non sunt pro lubitu fingendæ, (quod facit *Crugotius*, & multi cum illo) sed ex ipsâ Apocalypsi, collatis aliis locis Biblicis, sunt eruendæ. Et hoc modo facilimum nobis erit judicare de Visionum Synchronismis, deque illarum inter se convenientiâ.

OBSERVATIO VI.

Apocalypſis eſt Vaticinium Remisſivum.

Remittit enim Lectorem in Vetus Inſtrumentum, ita ut in unicâ Periodo interdum ad tria, vel plura Scripturæ loca, & quidem ſæpè unico verbo, alludatur: uti cuivis conſideranti ſpontè pateſcet; & nos poſteá ſingulis in locis oſtenſuri ſumus. (Vide & repete hîc, quæ ſub finem *praced. Capitis* §. *Reſtat tamen adhuc &c.* annotata ſunt.) Alluſiones tamen ſunt diverſi generis. Vel enim reſpicitur ad expreſſum aliquod Vaticinium; vel ad aliquem Typum; Si *Vaticinium* aliquod *expreſſum* repetatur, (quale eſt Gogi & Magogi conatus, & interitus, *Ezech.* XXXVIII. & XXXIX. deſcriptus, & *Apocalypſ.* XX. repetitus) tum lux aliqua infertur illi vaticinio ex Apocalypſi, & vicisſim Apocalypſis lucem accipit ex loco allegato; ſimulque notatur illud ipſum Vaticinium pertinere ad tempora Eccleſiæ Novi Teſtamenti, inque illâ periodo, quam Apocalypſis delineat, eſſe implendum. Si ad *Typum* autem reſpicitur; tum videndum erit, an typus adductus ſit *typus inſtitutionis divinæ*, (quales ſunt ſacrificia & ceremoniæ in Veteri Teſtamento ab ipſo Deo inſtituta), an verò tantùm *typus directionis divinæ*, ſive illa directio fiat à priori, ſive à poſteriori, quales ſunt Hiſtoriæ in Judaicâ Eccleſiâ olim geſtæ, & poſtmodùm in typum electæ. Ubi ergò *Typus inſtitutionis* adducitur, monſtratur, typum iſtum tum debere impleri, & hoc Deum olim ſub iſtius imaginis umbrâ repræſentâſſe, quod demum hac temporis periodo, quam Apocalypſis certis limitibus circumſcribit, erat proditurum. Spectant enim omnes *typi Inſtitutionis*, vel ipſum Chriſtum, Pontificem maximum; vel Chriſtianos, fratres ejus, unctos ab ipſo in Reges & Sacerdotes; ſapienter ſic monente *B. Luthero in præfat. ad V.T.* Typi autem qui Chriſtum ipſum concernunt, jamdudum

ſunt

ſunt completi: reliqui verò, qui Chriſtianos attinent, magnam partem adhuc ſunt in fieri, & quotidiè ad completionem feſtinant. Si autem *Directionis typus* allegatur, ſive ille ſit à priori, ſive à poſteriori: tum docetur, illam ipſam Periodum, de quâ agit Apocalypſis, habere quandam analogiam in certo Comparationis tertio, cum illo tempore, in quo olim Hiſtoria allegata geſta eſt, monſtraturque idem tum futurum in Eccleſiâ Chriſtianâ, quod olim factum eſt in Eccleſiâ Judaicâ, mutatis tantum perſonis, & nonnullis circumſtantiis.

Eſt autem *Typus directionis divinæ à priori*, Hiſtoria ab ipſo Deo directa: ut Iſaaci eductio, & Jonæ triduana in ventre ceti commoratio. *A poſteriori* verò, Hiſtoria à Deo improbata, ad typum tamen à poſteriori electa: ut Antiochi Epiphanis nequities, quam utique Deus improbavit, in typum tamen, Antichriſti tyrannidem denotantem elegit. Et ſic *Typus* allegatus *directionis à priori* ſemper notat divinam complacentiam; *à poſteriori* verò, diſplicentiam & improbationem.

OBSERVATIO VII.

Numerorum Apocalypticorum accurata habenda eſt ratio, illorumque Termini ſedulò ſunt inveſtigandi.

Largiter hîc peccatum eſt ab Interpretibus: ubi enim in explicando Numeros contigerunt, communi effugio freti, *Numerum poni certum pro incerto, & finitum pro indefinito)* ſaltum facientes, eos ſicco præterierunt pede, parumque de Terminis iſtorum ſolliciti, vel myſterium in illis latens neglexeruut, vel aliquid, explicationi ſuæ præconceptæ favens, commenti ſunt.

Fateor equidem, non rarò in S. Literis poni Numerum certum pro incerto; sed istud solummodò obtinet in ejusmodi loquendi formulis, quæ Sacro Codici cum vulgo sunt communes: ut, anne centies tibi dicam? id est, multoties: plus voras, quam alii decem, i.e. multum voras. Sic usurpatur *Numerus binarius Esa.* XL, 2. *suscepit de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis suis*, i.e. multiplicia. Sic Cap. LXI, 7. *In confusione vestrâ duplici & rubore laudabunt partem eorum, propter hoc in terrâ suâ duplicia possidebunt*, i.e. multiplicia. Ita etiam numerus *ternarius, quaternarius, & quinarius, Esa.* XVII, 6. *Et relinquetur in eo sicut racemus, & sicut excussio Oleæ duarum vel trium* (i.e. paucissimarum) *Olivarum in summitate rami, sive quatuor aut quinq;* (i.e. paucissimæ) *in cacuminibus ejus.*

Ita Numerus *septenarius* usurpatus sæpissimè occurrit, ut *Ruth.* IV, 15. *Esa.* IV, 1. *Jer.* XV, 9. & passim. *Denarius* itidem, 1. *Sam.* I, 8. *nunquid non Ego melior tibi sum, quàm decem filii*, i.e. multi. Sic *Deuter.* XXXII, 30. *Quomodo persequebatur unus mille, & duo fugârunt decem millia*: i.e. paucissimi magnum numerum hostium in fugam conjicient. Sic etiam 2. *Sam.* XIX, 43. *& Nehem.* IV, 12. & alibi multoties.

Iu his & similibus Scripturæ locis Numeri indefinitè ponuntur, & indefinitè etiam explicari possunt ac debent; quia ejusmodi loquendi formulis etiam in communi vitâ uti solemus: quanquam in ejusmodi locutionibus non rarò singularis quædam lateat Emphasis. Unde etiam in talibus locis non facilè, si vel comminationem, vel promissionem divinam contineant, Numerus positus est immutandus. Ut *Levit.* XXVI, 26. comminatur Deus Israelitis annonæ caritatem, inquiens: *Postquam confregero baculum panis vestri, ita ut decem mulieres in uno clibano coquant panes, & reddant eos ad pondus, & comedetis, & non saturabimini.* Emphaticè dicit. *decem mulieres* pro multis. Si enim dixisset: *multæ mulieres* coquent panes in uno clibano, non tam gravis fuisset comminatio; quia & quatuor, & sex, & septem mulieres dici poterant *multæ*: jam vero exprimit numerum denarium, ut simul gravitatem caritatis annonæ exprimat. Licèt, ad implendam hanc comminationem, non necessum fuerit, ut tempore caritatis istius, ubique & semper totidem, i. e. decem mulieres in uno cli-

clibano coquerent panes; sed innuebatur, numerum coquentium in uno clibano etiam in quibusdam locis ad Decem ascensurum. Unde & in his communibus loquendi formulis Numerus non omninò dicis gratiâ ponitur; licèt non præcisè, sed indefinitè possit exponi.

Tales autem loquendi formulæ *in Apocalypsi* rariores occurrunt: occurrunt tamen nonnullibi, ut *Apoc.* XVIII, 6. *Reddite illi* (Babyloni) *sicut & ipsa reddidit vobis; & duplicate duplicia secundùm opera ejus; in poculo quo miscuit vobis, miscete illi duplum.* *Duplum* hîc ponitur pro *multo*, non tamen sine Emphasi.

Secùs autem res habet in *Numeris reliquis, qui præcisè exponendi veniunt*: & quidem multis de causis.

Primò enim *æquipollent Numeris Historicis*, qui si indefinitè exponerentur, omnis Historiæ periret certitudo, multusque committeretur error: quod unicuique sua dictare poterit ratio.

Deindè, Temporis plerumq; sunt indices. Ubi verò tempus aliquod designant, semper præcisè sunt sumendi: alioquin enim omnis explicatio meris niteretur conjecturis, nullaque certa dari poterit Periodus: quod ipsum hactenùs Interpretibus fuit remoræ.

Tertiò, Exempla Sacri Codicis docent, sanctos Interpretes Visiones & Prophetias exponentes, accuratè semper ad numeros revelatos attendisse, eosque præcise explanâsse. Sic *Josephus* somnia Pistoris & Pincernæ exponens, attendit ad numerum ternarium revelatum, & ex tribus racemis, tribusque corbibus tempus trium dierum colligit: quod itidem in somnio Pharaonis factitat, numerum septenarium, non indefinitè, pro multo exponens, sed septem vaccas, spicasque septem, totidem annos monstrare asserit: ut nihil dicam, de undecim Stellis, Fratres undecim denotantibus. Ita *Daniel* Propheta somnium Nebucadnezaris explicans *Cap.* IV. Numerum datum septenarium non immutat, sed retinet. Sic ipsi etiam quatuor Animalia seu Bestiæ, quatuor signant Imperia, invicem sibi successura. *Cap.* VII. Et quatuor cornua in hirco, *Cap.* VIII, 22. quatuor Regna ex Imperio Græcorum oritura denotant. Quin totum percurre *Danielem*, & ad numeros ibidem expositos attende, videbis semper illos præcisè

& definitè exponi. Horum igitur Sanctorum vestigia premere, & ab iis discere interpretari, non erit indecorum, sed salubre & tutum: quippe istis, ut Viris θεοπνεύσοις, Spiritûs S. stylus & modus loquendi fuit notissimus.

Quartò. Ipse *Johannes* Numeros suos semper præcisè exponit, ut *Cap. I. 20. septem Stellæ, angeli sunt septem Ecclesiarum, & Candelabra septem, septem sunt Ecclesiæ*. Retinet numerum septenarium, ut moneat, Numerum istum præcisè esse sumendum. Sic *Cap. V, 6. Agni septem cornua, & oculi septem, per septem Spiritus, in omnem terram emissos* explicantur: ubi itidem numerus septenarius retinetur. Ita etiam *tempus, duo tempora & dimidium tempus* exponuntur *per 42. Menses*, non sinè mysterio; & deinde clariùs *per 1260. Dies*, scil. Angelicos, ut probè constet, hîc Numerum certum & definitum nobis proponi.

Quid? quod ubi Sigilla, Tubas, & Phialas septem nominavit, eas deinceps ordine recenset, & quid singulis factum sit annotat, ne numerum septenarium ut sacrum & perfectum, pro multitudine incertâ positum esse autumemus.

Sunt tamen quæpiam adhuc in Numeris Apocalypticis notanda.

Et *Primò* quidem, quod in Numeris Historicis non rarò usu venire videmus, ut scilicet *Numerus rotundus omisso minore, solummodo ponatur*, & tum Voculis *penè, fermè, præter propter*, & similibus limitari debeat, id etiam hîc sæpenumero est observandum. Ut, quando *Cap.* VIII. toties *tertia pars percussa* narratur: tum hisce voculis poterit limitari, retento tamen numero expresso. Quòd autem Numerus expressus retineri debeat, nec immutari, facillimum videre est, ex immutatione Numeri. Si enim dixero, quartam Solis partem esse percussam, minus dixero, quàm Textus dicit: sin dimidiam partem obscuratam esse affirmavero, plus affirmavero, quàm Textus affirmat; & si indefinitè dicam, magnam partem Solis esse percussam, obscuriùs loquar ac Spiritus S. in suâ revelatione, qui etiam quantitatem obscurationis determinat. Proinde proximùm mentem revelantis assequimur, si numerum expressum voculâ *penè* limitamus, & *penè tertiam*

partem

partem Solis mystici tum temporis obscuratam esse asserimus.

Secundò: Numeri dati interdum duplicem habent respectum; notant enim multitudinem quandam incertam & indeterminatam, soli Deo cognitam, simulque tamen connotationem temporis addunt; & ita priori modo considerati, meritò indefinitè exponuntur; respectu verò temporis, numerum certum & determinatum, sibique maximè analogum isti numeri positi in se continent, qui etiam ex circumstantiis textûs, locisque parallelis, à studioso interprete est eruendus. Et quia ejusmodi numeri indefinitam multitudinem notant, numerus Millenarius tum indefinitè exponitur: additi verò & præfixi numeri, qui millenarium determinant, notam temporis nobis exhibent. *Exemplo* Observatio hæc erit illustrior: sed non est hujus loci diutius & scrupulosius in istis immorari. Verbo dicam: *numerus Centies quadragies quater mille Signatorum* est talis; notat enim indeterminatam multitudinem Confessorum Veritatis, ut è Textu cuivis liquidò patere potest: non tamen omninò dicis gratiâ numerus *Centum & quadraginta quatuor* apponitur, sed Temporis indicem præbet luculentissimum, velut è Textu aliisque locis parallelis suo loco demonstrabitur.

Tertiò: ponuntur interdum in Textu duo vel tres Numeri, qui singuli sumti, vix quippiam docent; ast, simul sumti, & in se ducti, ostendunt Numerum à Revelante intentum, & textui lucem adferunt. Cujusmodi illustre *Exemplum*, & à Deo ipso explicatum occurrit *Genes.* XV. Alloquitur Deus ibi Abrahamum: *Sume mihi Vaccam triennem*, (sequor verba codicis vulgati) *& capram trimam, & arietem annorum trium, turturem quoque & columbam. Qui tollens universa hæc divisit per medium, & utrasque partes contra se altrinsecus posuit: aves autem non divisit. Descenderuntque volucres super cadavera, & abigebat eas Abram. Cumque sol occumberet, sopor irruit super Abram, & horror magnus & tenebrosus invasit eum. Dictumque est ad eum: scito prænoscens, quòd peregrinum futurum sit semen tuum in terrâ non suâ, & subjicient eos servituti, & affligent* QUADRINGENTIS *annis. Veruntamen gentem, cui servituri sunt, ego judicabo: & post hæc egredientur cum magnâ substantiâ. Tu autem ibis ad Patres tuos in pace, sepultus in senectute bonâ. Generatione autem quartâ revertentur huc: Nec dum enim completæ sunt*

iniquitates Amorrhæorum usq; ad præsens tempus. Cùm ergò occubuisset Sol, facta est caligo tenebrosa, & apparuit clibanus fumans, & lampas ignis transiens inter divisiones illas. Constat hoc Vaticinium partim Symbolis obscuris, partim verbis sat claris & perspicuis. Nullum autem est dubium, quin symbola, ex intentione Dei, idem docuerint & signârint, ac Verba ipsa clarè à Deo prolata. Jam verò inter clarè & perspicuè revelata, non minimum erat temporis spatium Quadringentorum annorum, post quod exactum, Semen Abrahami in terram promissam erat introducendum. Id sanè spatium etiam symbolicè monstrare voluit Deus Abrahamo, quemadmodum visionem exponens, ipse satis dilucidè innuit. Et quid aliàs sibi vellet numerus *Ternarius* annorum, exactè in sacrificio Vaccæ, Capræ, & Arietis requisitus? Vult quidem *Tirinus in Annotatis ad hunc locum*, figurari hoc ipso tres generationes, quibus Israëlitæ in Ægypto exulaturi & servituri essent, nempe tempore Caath, Amram, & Mosis: ast non *tres*, sed *quatuor* generationes ipse Jehovah numerat v. 16. Et sic animalia quatuor (quia turtur & columba pro uno reputantur, unde etiam non dividuntur, sicut vacca, & capra & aries:) quatuor istas Generationes figurare possunt. Triennium antem illud in trinis Animalibus omni mysterio carere, non facilè dixerit, qui divinam Sapientiam nihil frustra præcipere prudentèr pensitaverit. Quibus verò fidiculis *Numerum quadringentorum annorum* exprimemus? cùm illinc eum latere ex ipsius Dei expositione satis certò sciamus.

Numerabimus annos. Tria illa Animantia singula triennium apportant: quòd si turturi & columbæ unum assignemus, Decem annos conficiemus. Totidem annos exhibent animalia in sacrificium destinata, si non exactè completos, labentes tamen. En tibi jam numerum primũ, nimirum *Decem*! jam perge, & numera etiam ipsa Animalia, seu diversas species animalium, reperies quinque, nimirum Vaccam, Capram, Arietem, Turturem, & Columbam. En tibi numerum alterum *Quinque*! Jam numerato etiam partes post divisionem factam, in sacrificium collocatas, & habebis Octo, nimirum tria animalia per medium dissecta sex partes largiuntur, quibus si accenses duas aves indivisas, *Octo* efficies. Dantur itaque in ipso Textu Lectori paululum attento hi Numeri, *Decem, Quinque, & Octo*, quos si alteros in alteros duxeris (quod divisio seu multiplicatio par-

partium non obſcurè innuit) facilè *Quadringentos* efficies. Nam quinquies decem quinquaginta faciunt, & octies quinquaginta dant quadringentos: Vel quinquies octo efficiunt quadraginta, decies verò quadraginta etiam quadringentos largiuntur: Vel octies decem, aut decies octo octoginta ponunt, hos ſi quinquies ſumſeris, habebis numerum deſideratum, & in hoc ſacrificio ſymbolicè, licet paululùm obſcurè & involutè à Deo monſtratum.

Ejusmodi Numeri involuti, vix ſemel tantum in *Apocalypſi*, apud *Moſen* verò, & *Ezechielem*, præſertim ultimis Capitibus, aliisque in locis typicis frequentisſimè occurrunt: quin pleriquè in " in menſuris & ponderibus rerum ſacrarum, ut & in Sacrificiis ad- " hibiti, ejus ſunt generis. Non enim Menſuræ & Pondera iſta " ex arbitrio & lubitu fabricantium, ſive is fuerit Moſes, ſive David, ſive Salomon, proveniebant; ſed ab ipſo Deo peculiariter juſſa & conſtituta erant. *Omnia* (inquit *David* ad Salomonem 1. *Chronic.* XXVIII, 19.) *venerunt ſcripta manu Domini ad me, ut intelligerem omnia opera exemplaris.* Nec ſolummodo conſtituti ſunt iſti Numeri in fabricâ accuratè obſervandi, ſed etiam à Spiritu S. ſtudioſè annotati, &, ceu notabile quidpiam, ad nauſeam fermè repetiti & inculcati, quò nolentes quaſi adigeremur credere, in numeris iſtis aliquid myſterii, cùm Deus nihil fruſtrà faciat, latere. Lege *Caput allegatum* 1. *Chron.* XXVIII. & gloſſas B. *Lutheri in Exod.* XXV. *Caput* diligenter expende, fortaſſis huic meo aſſerto aſtipulaberis. Et pars quidem horum *Numerorum*, quid ſibi velint, mihi nota eſt, maximam tamen partem adhuc ignoro. Nullus autem dubito, quin, ubi Eventus ſubſequens hanc meam Apocalypſeos explicationem veram & genuinam eſſe docuerit, plures futuri ſint, qui monſtratam à me viam calcantes, non ſine jucundâ utilitate, & ſvaviſſimâ Bibliorum S. harmoniâ, Numerorum Moſaicorum, Ezechielis, aliorumque myſteria eruent.

Mihi ſufficit, *Numeros* explicaſſe *Apocalypticos*, inque eis eruendis ingenium & vires triviſſe, quos etiam, Divinâ adjuvante Gra- " tiâ, Omnes jam in numerato habeo, & in Eccleſiæ commodum " publicæ luci exponam, qui utique ritè intellecti, nobis Clavem reliquorum facilè ſuppeditare poterunt.

Plura possem præmittere Observata; sed quia jamdudum ab aliis edocta sunt; & multa etiam absque studiosâ explanatione Textûs, doceri haud possunt, nolo vel actum agere, vel eadem bis agere. Si quid monendum erit, commodè tum fieri poterit, ubi Textus & Explicatio id requirent.

Hæc autem præmittere volui, ne omninò imparatum Lectorem in penetralia ista sacra intromitterem: cuncta tamen ex sequentibus lucem clariorem accipient.

CAPUT VI.

De Methodo Explicationis agit, simulque totam Ecclesiæ Novi Testamenti Periodum eruit.

B. Lutheri Consilium.

His itaque præmissis, jam dispiciamus, quâ via ac Methodo commodissimùm Explicatio possit institui: quia etiam culter Logicus, utut aliàs probatæ sit bonitatis, in hac ipsâ anatome, nonnunquam hebescere videtur. Id quod exemplo eorum patet, qui *Analyses Logicas* in hunc Librum conscripserunt, nec tamen mentem Scriptoris sunt assecuti, sed interdum longius à veritate, quàm reliqui, abscesserunt.

Beatus Lutherus, in præfatione super hoc Vaticinium, Interpretem ad acta, & actitata in Ecclesiâ, præsertim ad Persecutiones respicere jubet, & Historiam Ecclesiasticam his Typis & Figuris vult applicari, deque tali Explicatione censet eam, si non pro infallibili & certa haberi possit, pro probabili tamen esse recipiendam. Bonum Consilium! nisi in Historiâ Ecclesiasticâ tanta occurreret copia & varietas, ut quid primùm, quid postremum sit applicandum, vel oculatissimi etiam ambigant. Testis est experientia: vix enim ullus

ullus Interpres post Megalandrum scripsit, qui non explicationi suæ res in Ecclesiâ gestas accomodare studuerit, quisque etiam suam Opinionem & applicationem bellissimam esse contendit, & tamen à se invicem quàm longissimè abeunt, quod utique argumento est, Applicationem istam satis difficilem & ambiguam esse. Quid quod prius de sensu Vaticinii constare debet, priusquam fieri possit Applicatio. Ut ita Consilium hoc B. Lutheri non tam viam monstret interpreti has salebras feliciter superandi; quàm Lectori de interpretationis veritate judicandi. Certissimum enim est, eam " interpretationem esse rejiciendam, quæ Historiam Eccle- " siasticam astipulatricem non habet.

Reliquos Interpretes si adeamus, illi dissensu suo & variatione rem faciunt intricatissimam, ut genuinum sensum " eruiturus, citius eum assequi posset, si nullos omninò lege- " rit Commentatores; quàm si multos. Quæ enim hic perspicuè proponere creditur, ut mens veritatis avida acquiescere possit, alter ita elevat, ut, quid in hac difficili materiâ eligat Lector, propè nesciat. *Variationes Autorum.*

Hic omnes Visiones eo ordine, quo in Libro conscriptæ sunt, à capite ad calcem usque, sibi invicem & tempore & complemento succedere arbitratur: Alter verò ad Synchronismos & parallelismos attendendum esse monet.

Hic Sigilla, Tubas, & Phialas, tempore sibi invicem succedere putat: alter eodem tempore coincidere existimat: tertius Sigilla & tubas coincidere, Phialas verò diversum tempus notare autumat: quartus denique Tubas & Phialas miscet, sed Sigilla præcedere monstrat. Ut de reliquis dissensionibus taceam.

Cui credam? præsupponunt certè omnes, quod prius nobis optimè probatum dare tenebantur. Hinc Methodus hujus Vaticinii semper habita est difficillima; ut *Paréus* scri-

Comment. in Apoc. bere haud erubeſcat: *De Methodo & Oeconomiâ Prophetiæ hujus, tum generali, quâ Viſiones fatidicæ univerſæ invicem cohærent; tum ſpeciali, quâ ſingularum Viſionum* φαινόμενα *ſe conſequantur, accuratè dicere meum nondum eſt, licet TRIGINTA amplius annorum ſtudium his impenderim.* Facilè credo! Et ſi reliqui Interpretes (*Nullum* excipio) pari candore verum fateri voluiſſent, idem cum *Pareo* conqueſti fuiſſent. Cui enim Methodus & œconomia hujus Prophetiæ, ſeu accurata combinatio Viſionum innoteſcit, illi Vaticinium hoc obſcurum eſſe deſinit; uti in ſequentibus cuivis ad oculum σὺν τοῦ Θεοῦ παλάμῃ monſtrabo.

Ne autem ſolummodò cogitata noſtra proferamus, ſed etiam quodammodò Lectorem in aſſenſum, (licet in ejusmodi ænigmaticis Viſionibus id admodùm difficile ſit) cogamus; firmum & immotum noſtræ Explicationi, in hoc Capite, ſubſternemus *Fundamentum*, hoc modo procedentes.

Angelus jurans. Apoc. X. cap. *CAPITE Decimo Apocalypſeos*, apparet Johanni *Angelus* fortis, nube amictus, & iri de inſignitus, ſtans dextro pede ſuper mare, & ſiniſtro ſuper terram, manu tenens librum apertum: is poſtea levat manum ſuam ad Cœlum, & ea, quæ in eo ſunt; & Terram, & eâ, quæ in eâ ſunt; & Mare, & ea, quæ in eo ſunt, *jurans*, ὅτι χρόνος οὐκ ἔσται ἔτι ἀλλὰ ἐν ταῖς ἡμέραις τῆς φωνῆς τοῦ ἑβδόμου ἀγγέλου, ὅταν μέλλει σαλπίζειν, καὶ τελεσθῇ τὸ μυστήριον τοῦ θεοῦ, ὡς εὐηγγέλισε τοῖς ἑαυτοῦ δούλοις τοῖς προφήταις i. e. *Tempus non fore amplius; ſed in diebus vocis ſeptimi Angeli, cùm cæperit clangere, conſummandum eſſe myſterium Dei, ſicut annunciavit ſervis ſuis Prophetis.*

Quis hic ſit *Angelus*, jam non opus eſt, ut ſcrupuloſè inquiramus; poſteà enim ſpontè nobis innoteſcet: hac vi-
„ce ſolummodò *verba juramenti* ipſius ponderanda veni-
„unt. quæ probè intellecta, & rectè adhibita *Clavem totius*

Apocalypseos subministrare possunt. Hoc tamen prænosse expedit, Angelum hunc esse *Bonum*, ejusque juramentũ *Verum* & infallibile, quod exinde concludimus: 1. Quia è Cælo descendit. 2. quia Johannes cælitùs jubetur Librum apertum ab Angelo petere & accipere. 3. quia Johannes Angelo mandanti obtemperat; quod utique factum non esset, si Angelus hic AntiChristum, ut nonnulli voluerunt, aut aliquid aliud mali repræsentaret. Multi sanè ex Theologis Orthodoxis magnifica illa Attributa, huic Angelo adscripta considerantes, Christum ipsum hic nobis sisti statuerunt. Quisquis tamen sit, hac vice, ut dixi, parum refert nosse, sufficit scire, Bonum esse, & Veritatem dicere. *Est bonus.*

Constat autem hoc *juramentum* duabus partibus: Prior absolutè asserit, *Tempus posthac non fore*: posterior priorem adversativè illustrat, exponendo, quid & quando futurum sit: nimirùm *consummandum esse mysterium Dei, & id quidem in diebus Tubicinii septimi*. Quodnam verò *Mysterium* intelligat, satis addita innuit descriptio. Dicitur enim *primò* κατ' ἐξοχὴν, μυστήριον τοῦ θεοῦ: *deinde* Mysterium, quod annunciatum, seu potius *evangelisatum* est, (græcum enim εὐαγγέλισε, ἐμφατικώτερον) Et *tertio*: quod non ab uno Prophetarum, sed ab omnibus *Prophetis* est prolatum. Audiemus Apostolum *Paulum* de hoc Mysterio disserentem: Is *Roman. XVI. v. 25.* ita scribit: Τὸ εὐαγγέλιόν μου καὶ τὸ κήρυγμα Ἰησοῦ Χριστοῦ, κατὰ ἀποκάλυψιν μυστηρίου χρόνοις αἰωνίοις σεσιγημένου. φανερωθέντος δὲ νῦν διά τε γραφῶν προφητικῶν, κατ' ἐπιταγὴν αἰωνίου Θεοῦ, εἰς ὑπακοὴν πίστεως, εἰς πάντα τὰ ἔθνη γνωρισθέντος. i. e. *Evangelium meum est præconium Jesu Christi, ex revelatione MYSTERII, quod à temporibus æternis tacitum: Nunc verò factum est manifestum, & per Scripturas Propheticas, ex imperio æterni Dei, ad obedientiam fidei, omnibus gentibus declaratum.* Et *Ephes. III. v. 8. 9. 10. 11. Mihi omnium Sanctorum minimo data est gratia hæc in gentibus evangelizare* (εὐαγγελίσασθαι) *investigabiles*

biles divitias Christi, & illuminare omnes, quæ sit dispensatio Sacramenti (ἡ κοινωνία τοῦ μυστηρίου) *absconditi à seculis in Deo, qui omnia creavit: ut innotesceret principibus & potestatibus in cœlestibus per Ecclesiam multiformis Sapientia Dei: secundùm præfinitionem seculorum* (κατὰ πρόθεσιν τῶν αἰώνων) *quam fecit in Christo Jesu Domino nostro. Et Coloss. I. v. 26. Mysterium quod absconditum fuit à seculis & generationibus, nunc autem manifestatum est Sanctis ejus, quibus voluit Deus notas facere divitias gloriæ Sacramenti hujus* (τοῦ μυστηρίου τούτου) *in gentibus, quod est Christus in vobis spes gloriæ,*

Ex his dictis satis liquere arbitror, qualenam *Mysterium* Angelus intelligat, quod *consummandum fore* jurat; nimirum *collectionem Ecclesiæ per prædicationem Evangelii*, quod ipsum est *Mysterium illud septem Stellarum, Apocal. I. v. 20.*

Sensus Juramenti Angelici.

Sensus igitur hujus Juramenti est; Ultra septimum Tubi-
„ cinium Tempus non iri prorogatum, sed instare tum diem
„ pantocriticum, & finem Mundi: ubi omnia, quæ à Prophe-
„ tis prædicta sunt, complementum suum sortientur, & per-
„ fecta ac absoluta reddentur omnia ea, quæ hic in Ecclesiâ
„ sunt evangelizata, quæque ab omnibus piis tàm anxiè desi-
„ derantur: nempè omnimoda peccati sublatio, mortis totalis
„ extirpatio; filiorum Dei patefactio; piorum ab hostibus &
„ omnibus malis liberatio, cum justissimâ vindicatione in
„ impios; promissæ hæreditatis occupatio, & æterna electo-
„ rum Beatitudo.

Hæc inquam omnia, quæ mysterium Evangelii, cuncta comprehendens & manifestans mysteria, nobis clarè & perspicuè annunciavit, in diebus Tubicinii septimi absolventur; & tum Tempus ultra non erit; sed succedet Tempori Æternitas.

Sensum hunc Verba Juramenti, prout jacent, imme-

dia-

diatè largiuntur, & satis dilucidè proponunt: ut mirum sit, plures fuisse repertos, qui hoc Juramentum in alienum, & huic Vaticinio maximè contrarium sensum detorserunt: quas *παρερμηνείας* tamen operosius refutare supersedeo, quia prolatâ & probatâ vera sententiâ sponte in fumum abeunt.

Insuper tamen veritas hujus Expositionis ex *versu* 17. *Capit. XI* elucet; ubi septimum Tubicinium describitur, & viginti quatuor Seniores inter alia sic loquentes introducuntur. *Advenit ira tua, & Tempus Mortuorum, ut judicentur; & reddas mercedem servis tuis Prophetis, & Sanctis, & timentibus Nomen tuum, pusillis & magnis, & perdas eos, qui perdiderant terram.* Hic expressè affirmatur, advenisse Finem Mundi, nempe *Tempus Mortuorum*, i.e. diem extremum, quo mortui ex monumentis ad judicium congregabuntur: quin etiam executio, tam respectu Piorum, quàm impiorum his verbis describitur. *Confirmatur hæc explicatio.*

Vis autem juramenti hujus consistit in determinatione Temporis, nempe *dierum septimi Tubicinii.* Aliquando enim desiturum Tempus: & successuram Æternitatem, satis antea, absque hoc hujus Angeli juramento, noveramus: sciebamus etiam, omnia tandem suum complementum acceptura esse, quæ prædixerant Prophetæ: sed *quando* id ipsum futurum esset, id sane ignotum & absconditum fuit: Unde illud, ut *ingens Paradoxum*, Angelus tantâ religione, tantoque apparatu, tamque disertis verbis affirmat. Nempe ὅταν μέλλει σαλπίζειν, *quando tubâ cantaturus est septimus Angelus* (μέλλω cum Infinitivo constructum rectè per Futurum exponitur:) καὶ τελεσθῇ (Conjunctio copulativa, more Hebræorum, notat consequens pronunciati, & hîc idem valet, ac τότε, quia ὅταν præcessit: est enim pronunciatum relativum temporis, & Aoristus primus pro Futuro primo ponitur: *& tunc absolvetur, perficietur, ad finem perducetur,* (hæc omnia Verbum τελέω notat) *Mysterium Dei,* ὡς εὐηγγέ- *Vis Juramenti in determinatione Temporis.* *Apoc. X. v. 7.*

λισε, *sicut annunciavit*, (pro, *quod annunciavit*, ὡς pro ὅ) *servis suis Prophetis*.

Nullum Tempus ultra septimum Tubicinium.

Hinc manifestè patet, *nullam Visionem Apocalypticam ultra tempus septimi Tubicinii esse protrahendam*: sed omnes omninò Visiones hoc Termino concludi; quia Tempus ultra non dabitur; quod πόρισμα probè notandum.

Terminus ultra quem non.

Habemus igitur *Terminum, ultra quem non* prorogabitur Tempus; simulque *Terminum*, *IN QUO* finis mundi adveniet, & quidem satis manifestè, & dilucidè probatum, nempe *Septimum Tubicinium*. Ex quo liquet, in Sexto Tubicinio non agi de judicio ex-
„ tremo, quia illud ad septimum restringitur: &, nisi probetur,
„ Sextam Tubam præteriisse, rectè negari posse, instare, Diem Do-
„ mini: quod iterùm notandum.

Terminus A QUO indagatur.

Pergimus jam; &, cùm *septem* dentur *Tubicinia*, sibi invicem succedentia; ut cuivis Apocalypseos Lectori patet, cognito *Termino ad quem*, seu fine & exitu Tubiciniorum, qui est finis Mundi, uti jam monstravimus; operæ pretium erit, eorundem etiam, Principium, sive *Terminum à quo* studiosè indagare.

Apoc. VIII. v. 2. ad 7.

Is autem nobis *Cap. VIII. à v. 2. ad 7. usque* his verbis describitur: *Et vidi septem Angelos stantes in conspectu Dei, & datæ sunt illis septem Tubæ. Et alius Angelus venit, & stetit Altare habens Thuribulum aureum: & data sunt illi incensa multa, ut daret de Orationibus Sanctorum omnium super Altare aureum, quod est ante thronum Dei. Et ascendit fumus incensorum de Orationibus Sanctorum de manu Angeli coram Deo. Et accepit Angelus Thuribulum, & implevit illud de igne Altaris, & misit in terram, & facta sunt tonitrua, & voces, & fulgura, & terræ motus magnus. Et septem Angeli qui habebant septem tubas, præparaverunt se, ut tubâ canerent. Et primus Angelus tubâ cecinit*, &c.

In his verbis Johannes primùm *septem Angelos* tubis suis instructos in medium producit: priusquam autem illorum clangores describat, alium introducit *Angelum*, Thuribulum aureum habentem, illudque, post fumigationem factam, ante thronum in terram effundentem: statimque subjungit, *Primum Angelum tubâ cecinisse*. Ex quo liquidò *Terminus à quo* apparet: *ab effuso enim Thuribulo in terram incipit Tubicinium primum*. Nam clangor primi Tubicinii imme-

immediatè effusioni Thuribuli conjungitur, ut actus illicò subsequens.

Jam igitur summè necessarium erit, investigare, quid per *Effusionem* illam denotetur, qualisve ibi describatur Actus? *Effusio Thuribuli quid.*

Torserunt se hîc mirè Interpretes, ob vocem *Angelus* maximè solliciti, quod vocabulum pars Christo posse, pars non posse tribui contenderunt. *Nos*, ex Prædicatis, & ex locis Veteris Testamenti, quò alluditur hoc loco, facilè hunc Angelum dignoscemus, & qualis hic describatur Actus, dicere poterimus.

Loca V. T. ad quæ alluditur, habentur partim *Exod.* XXX. *à v. 1. 10. usque inclusivè*: ubi *aureum illud Altare suffituum* describitur, mandaturque Aaroni, ut manè & vesperi odoramenta in eo accendat, & hoc Altare semel in anno expiet: partim *Levit.* XVI. *v.* 13. ubi jubetur Aaron assumto Thuribulo de prunis Altaris impleto, haurire manu compositum thymiama, & sic intrare ultra velum in Sancto, ut, positis super ignem aromatibus coram Domino nebula eorum & vapor operiat Oraculum (τὸ ἱλαςήριον) quod est super testimonium, ne moriatur.

Quivis hæc Typica esse, me etiam non monente, videt: Typi verò Veteris Testamenti in Novo antitypos suos, seu complementum sortiuntur: quod etiam de hac Aaronis incensione aromatum, seu fumigatione in Sancto Sanctorum, est statuendum. [Recolat hic Lector ea, quæ *Capite præcedenti*, *observat.* 6. dicta sunt.] Non autem arbitror, quenquam hodiè tam imperitum esse in Theologicis, ut nesciat, cujus Typum *Aaron* gesserit, præsertim semel in anno Sanctum Sanctorum intrans, populumque universum Sanguine expians. Satis enim dilucidè id *Epistola ad Hebræos* scripta docet.

Cùm igitur Typus iste, hîc, pauculis tantùm immutatis, nonnullis etiam illustrationis gratiâ additis, repetatur, facilis est dijudicatio, quid hîc Apocalypsis sibi velit. Nimirum hac repetitione docet, typum istum tum temporis, ante Tubicinium primum, in Ecclesiâ Novi Testamenti esse implendum.

Considerabimus tamen *Prædicata*, huic Angelo in *Textu* tributa:

I. *Accedit ad Altare aureum suffituum.*

Sed id solummodò Sacerdotibus & Pontifici maximo licebat. Contradistinguitur autem hic Angelus Sanctis, qui sunt Sacerdotes mystici, ut major: ex quo patet, hîc adumbrari Pontificem summum.

2. *Aureo Thuribulo est instructus.* Ast illud in Sancto Sanctorum, quò semel tantùm in anno soli summo Pontifici intrare licebat, recondebatur, teste *Epist. ad Hebr.* IX *v.*4.

3. *Omnibus Sanctis* θυμιάματα, seu materiam precum *subministrat.* Suffitus enim sunt preces Sanctorum, *Apoc.* V. *v.* 8.

4. θυμιάματα *illa Sanctis ad Preces eorum distribuit.*

5. *Preces Sanctorum accendit.*

6. *Eas Deo offert.*

7. *Coram Throno expiationem instituit.*

8. *Ignem, quo preces Sanctorum accendit, mittit in terram.*

9. *Et hac ipsâ missione Tonitrua & voces excitat.*

Stupidi sumus, nisi hîc *Christum*, Pontificem nostrum summum agnoscimus. Nemini enim aliàs hæc Prædicata, salvâ analogiâ fidei, tribui possunt. Is enim est *summus ille Sacerdos*, *Exod.* XXX. & *Levit.* XVI. adumbratus, *semel Sanctum Sanctorum per proprium Sanguinem ingressus, æternam promerens expiationem*, *Heb.* IX. *à v.*7. *ad* 11.12. item *Cap.* VIII. *à v.* 1. *ad* 6. *Dilexit enim nos, seque ipsum tradidit pro nobis oblationem & hostiam Deo, & odorem suavitatis. Ephes.* V. *v.* 2. *Is dona accepit pro Hominibus. Psalm.* LXVIII. *v.* 19. *Ephes.* IV. *v.* 8. *Et in diebus carnis suæ deprecationes & supplicationes cum clamore valido, & lacrymis obtulit, Hebr.* V. *v.*7. *Illi est data Gratiæ &* εὐωδίας *plenitudo, ut non nisi per ipsum assiduè offeramus* Deo *sacrificium laudis, i.e. fructum labiorum confitentium nomini ejus. Hebr.* XIII. *v.* 15. *Is jussit nos petere à Patre in Nomine, h.e. merito suo, exauditionemque promisit. Joh.* XVI. *v.* 23. Quod nihil aliud est, quàm *Materiam precum subministrare.* Benè nonnemo: *Sancti Orationes suas committunt Christo, ut eas Patri offerat. Ipse eas reddit acceptas.* Hic etiam *Preces Sanctorum accendit per Spiritum suum Sanctum. Nos enim quid oremus, sicut oportet, nescimus; sed ipse Spiritus postulat pro Nobis, gemitibus inenarrabilibus, Rom.* VIII. *v.* 26. Christus autem hunc Spiritum S. largitur: est enim *Is, qui baptizat Spiritu & Igne, Matth.* III. *v.* 11. *Luc.* III. *v.* 16.

Ex

Ex quibus collatis omninò apparet, hîc nihil aliud describi, quàm *Ministerium Christi in terris peractum.* *Angelus cum Thuribulo notat Ministerium Christi in terris his peractum.*

Nondum tamen, inquis, satis claret, quid illa *Effusio Thuribuli* sibi velit? Quid, obsecro, aliud, quàm *Visibilem effusionem Spiritus S. super Apostolos, in die Pentecostes?* Nam illud effunditur in terram, quo cum Preces Sanctorum accenduntur. Atqui illud est Spiritus S. uti paulò ante probavimus. Ambigere poteramus, quid per *Ignem in Altari* significetur, an ignis crucis, an Verbi divini, an verò Spiritus Sancti: sed *Apocalypsis* satis dilucidè explicat, dum ostendit, eo igne preces Sanctorum ab Angelo accendi. Hinc patet, per illam Effusionem Thuribuli, nihil aliud, quam Effusionem *Spiritus S.* denotari, non autem quamlibet; sed peculiarem quandam, quæ, Textu sic flagitante, 1. Actum ante primum Tubicinium complendum repræsentet. 2. quæ factâ fumigatione coram Throno, sive quod idem est, quæ factâ expiatione per Passionem Christi; immediatè succedat. 3. quæ Tonitrua, & voces, itemque terræ motum concitet. Quæ soli Effusioni visibili Spiritûs S. super Apostolos, competunt, *Actor.* II. *v.* 17.

Liquet ergò jam *Terminus à quo* Tubicinii primi, nempe, ab effusione visibili Spiritus S. super Apostolos, incipit illud. *Facta est autem illa Effusio in die Pentecostes, Anno Æræ Christianæ trigesimo „tertio.* Et in hoc termino *Epocha Apocalyptica* est collocan„da. *Terminus à quo Tubicinii primi est visibilis effusio Spiritus Sancti.*

Investigato igitur *Termino à quo*, & ritè constituto *Termino ad quem*, horum Tubiciniorum, invictè concludere possumus; *Totam Periodum Ecclesiæ Novi Testamenti absolvi his septem Tubiciniis.* Primum enim incipit cum propalatione Evangelii inter Gentes, quod tonitrua & voces notant factæ; ultimum autem cum fine Mundi exit; uti liquidò probavimus. Relinquitur ergò Assertum hoc firmum: *Septem his Tubiciniis seu Periodis, totum Tempus Novi Instrumenti absolvi.* *Epocha Apocalyptica.*

Nihil igitur aliud hi *septem Tubicinatores Angeli* significant, quàm *SEPTEM illas Ecclesiæ Ætates, seu Periodos principales*: & sic totam Ecclesiam Novi Testamenti repræsentant.

Et hi sunt *Septem illi Angeli*, de quibus *Cap.* I. *v.* 20. dicitur: *Septem Stellæ, Angeli sunt septem Ecclesiarum.* Unde etiam *Capite Octavo,* *Septem Angeli Tubicinatores,*

ſunt illi ipſi ad quos ſcribere jubetur Apoſtolus.

in græco notanter & emphaticè Articulus additur : καὶ εἶδον τοὺς ἑπτὰ ἀγγέλους, οἳ ἐνώπιον τοῦ θεοῦ ἑστήκασι. *Et vidi ſeptem ILLOS Angelos, QUI aſtant coram Deo* : ut benè *Beza* reddidit.

Quos verò ? niſi Illos, ad quos ſuas Epiſtolas Johannes exarare jubetur, utpote qui totam N. T. figurant Eccleſiam, & dicuntur ideò *Angeli Eccleſiarum.*

Significatio vocis Angelus in Apocalypſi notanda.

Habet enim hoc ſingulare & perpetuum Apocalypſis, quòd vo-„cem *ANGELUS* in eâ ſignificatione adhibet, *ut certam Temporis* „*periodum* denotet, quæ deinceps ita depingitur, ut ejus quantitas „& qualitas facilè appareat.

Angelus jurans quis ſit.

Sic *Angelus cum thuribulo*, totum tempus Miniſterii in terris peracti, usque ad effuſionem Spiritûs S. incluſivè figurat. Sic *Angelus jurans*, magnum Temporis intervallum, quâ de causâ etiam Angelus *fortis* dicitur, repræſentat, uti ſuo loco oſtendemus. Sic etiam hi *Angeli ſeptem Tubicinatores* ſeptem Eccleſiæ tempora, ſive ætates, uti jam probatum, exhibent.

Eccleſiæ illæ ſeptem quænam?

Ex quo conſequitur, *ſeptem illas Eccleſias*, nomine *Aſiaticarum* „ inſignitas, *non illas particulares*, quarum nomina habent præfixa, „*ſed has ſeptem Univerſales Eccleſiæ Periodos* repræſentare.

Illis enim Eccleſiis procul dubio jubetur Apoſtolus ſcribere, quæ numero ſeptenario *Capite primo* indigitantur; quæ per ſeptem Candelabra aurea, inter quæ ambulat Filius Dei, repræſentantur; quæ per Stellas ſeptem in dextrâ Salvatoris figurantur; quarum Tempora & Ætates Angeli Eccleſiarum ſeptem dicuntur; & quæ denique in Veteri Teſtamento typicè ſunt adumbratæ : id ipſum enim Inſcriptiones harum ſeptem Eccleſiarum, & præfixi Salvatoris Tituli expreſsè docent : Atqui illæ non ſunt particulares iſtæ Aſiaticæ; ſed potiùs Univerſalis omnium temporum & ætatum Novi Teſtamenti Eccleſia. Quæ Unica Eccleſia, ob varia dona, & ob inſigniores mutationes, ex placito divino per has ſeptem nominatas deſcribitur; additis, ex more hujus Vaticinii, non ſine Myſterio, Nominibus propriis, quo ſub hoc velamento, ceu ſigillata, usque ad præfinitum tempus latere poſſent; donec tandem ſuo tempore, *Angelo clamante, hæc ſeptem Tonitrua*, ſeu Epiſtolæ voces ſuas ederent, & aperte pronunciarent.

Nempe Eccleſia Univerſalis.

Si

Si quis igitur judicium ipsius Spiritûs S. de omnium Temporum Ecclesiis singillatim expetit, is has legat ac perlegat septem Epistolas, septemque Ætatibus Ecclesiæ universalis, sibi invicem succedentibus, applicet dicta, habebit, quod desiderat. Hic enim fata Ecclesiæ, tanquam in Synopsi, ipsius Spiritûs S. stylo nobis describuntur. unde singulis, tanquam Nota attendenda, adduntur hæc verba: *Qui habet Aures audiendi, audiat, quid Spiritus dicat Ecclesiis.* Quæ Verba utique argumento sunt, plus hîc aliquid describi, quàm Ecclesiæ particularis fatum.

Patet idipsum etiam ex *Typo Veteris Instrumenti* hîc repetito *Confirmatur ex Exod.* XXV. *&* XXXVII. & explicato. Nam *Exod.* XXV. *à v.30. ad 37.* mandat Deus Mosi, ut fabricet *Candelabrum aureum, septenâ lampade coruscum*, in Tabernaculum Testimonii ponendum; quod etiam *Cap.* XXXVII. à Bezalaële ad præscriptum paratur, septemque lucernis instruit, singulis manè ab Aarone adornandis. *Cap.* XXX. Typica hæc esse, nemo negaverit, qui vel *Epistolam ad Hebræos* legerit: Omnis autem Typus V. T. in Novo suum habet Antitypum: quid verò sibi hic Typus velit, & quid per has septem Lucernas, in tabernaculo testimonii lucentes, Deus præfiguraverit, noster Johannes hoc loco expresse docet, quando *Cap.* I. *v.* 20. dicit: *Candelabra septem, septem sunt Ecclesiæ.*

Non est autem verisimile, illas nominatas particulares Asiaticas Ecclesias, hoc tam illustri typo olim fuisse adumbratas: nulla enim dari posset, quare id factum esset, ratio. Quin ipsa *Apocalypsis* repugnat: quia *Cap.* IV. *v.* 5. septem faces ardentes dicuntur esse *septem Spiritus Dei*, qui *Cap.* V. etiam per Oculos in Agno figurantur, & *in omnem Terram emissi* prædicantur. Quod Prædicatum quomodo his Asiaticis Ecclesiis convenire queat, non video. Dantur ergò aliæ septem Ecclesiæ his nominatis magis illustres, & " per universam terram expansæ, nempe *totius Ecclesiæ N. T. septem* " *Ætates.*

Hinc etiam non septem aliquæ *Illustres Ecclesiæ*, & in S. Literis decantatæ, ut *Hierosolymitana, Antiochena, Romana, Corinthiaca, Galatensis, Colossensis, aut Philippensis*, nominantur: ne fortè, propter præcellentiam, aut primatum aliquem id factum esse opinaremur, & sic à vero & genuino hujus Vaticinii sensu abduceremur:

Sed

Sed *obſcuræ* fermè Eccleſiæ, præter unam *Epheſinam*, quæ propter *Pauli Epiſtolas*, & ex *Actis* ſatis clara eſt, adducuntur; quo nolentes quaſi adigeremur credere, magnum ſub his Eccleſiis latére myſterium.

Addo quòd à Literatis adhuc dubitetur, an tempore ſcriptæ Apocalypſeos ulla *Thyatiræ* fuerit conſtituta Eccleſia: quo ſcilicet hoc ipſo ſcrupulo moneremur, hîc non ſermonem eſſe de illis particularibus, ſed ſub iſtis nominibus myſticè deſcribi aliud quidpiam.

Quid? quòd *Prædicata* in his Epiſtolis contenta, non ſatis dextrè poſſint applicari Epiſcopis, ſive Paſtoribus, quos hoc loco *Angelorum* nomine inſigniri, ſed malè, arbitrantur: quod animadvertentes nonnulli Interpretes, non hic ſolùm Epiſcopos, ſed illorum ſimul Auditores caſtigari autumant. Unde & illi, qui ſecundum literam ad has Aſiaticas ſcribi exiſtimant, *Typum eas totius Eccleſiæ Univerſalis gerere, non ſolùm concedunt, ſed magno ſupercilio conſtanter docent*. Quod ſi ad ſignificationem vocis *Angelus*, in hoc vaticinio toties uſurpatæ, attendiſſent ſatis, ſimulque *Chronotaxin Apocalypticam* intellexiſſent, dixiſſent id magis.

Quia verò vocem *Angelus*, ſemper pro paſtore, ſive Epiſcopo, ſeu bono, ſeu malo acceperunt, neceſſariò aliquid tenebrarum vel hæc ſola vox ipſis offudit. Cùm tamen perpendere debuiſſent, occurrere loca, ubi vox hæc nullo modo Doctoribus, ſive piis, ſive impiis, accommodari poſſit. Teſtes ſunt *Angeli quintæ, ſextæ, & ſeptimæ Phialæ*, ubi ejuſmodi actus deſcribuntur, qui potiùs Principes & Reges Terræ concernunt, ab iis exequendi, quàm Doctores Eccleſiæ, ſive pii illi ſint, ſive impii.

Et cui quæſo Doctori ſive Epiſcopo applicabimus *Angelum illum, per mille annos Draconem ligantem*? cùm nullius Doctoris vita ad tantum temporis extendatur: ut hoc ſolum objiciam; quanquam & alia ſint, quæ obſtent.

Sed, ſi *per Angelos in Apocalypſi productos, certas Temporum Eccleſiæ periodos*, prout res ipſa exigit, intelligimus, cuncta bellè procedent, & omnibus obſtaculis remedium poterit inveniri. Validè autem iſta ſignificatio Vocis *Angelus*, ex ſeptem illis periodis Tubiciniorum, quæ nomine & repræſentatione Angelorum ſeptem veniunt,

unt, probatur: ut & ex inductione per universam *Apocalypsin*. Nec adeò inepta est hujus vocis in hac significatione usurpatio: quia Ἄγγελος est (uti loquitur *Ammon*) πᾶς ὃς ἀγγέλλει τὰ ἔξωθεν, de Ecclesiæ verò temporibus inquit *David Psalm.* XIX. *Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat scientiam.*

Non diffiteor tamen, quibusdam in locis, ad hunc vel illum Doctorem seu Pastorem primariò respici, hac tamen cautione, & tantâ Temporis quantitate additâ, ut uni soli applicari haud possit. Quod fortè propterea factum est, ne quis superbiendi, seque aliis præferendi ansam inde arripiat; sed felicitati ejus Temporis, in quo vivit, vel potiùs Deo ipsi, largitori clementissimo, ascribat, si quid boni in Ecclesiâ operetur.

Concludimus ergò, *Septem Angelos Tubicinatores eos ipsos esse, ad quos Johannes scribere jubetur; et sic Ecclesias illas septem, cum Tubiciniis, quoad synchronismos, convenire.* ***Tubicinia, & Ecclesiæ septem Tempore conveniunt.***

Hoc, si cui falsum videtur: ostendat is mihi, quænam sint *illæ septem Ecclesiæ*, quæ in V. T. & hîc in Apocalypsi per *Candelabra aurea septem* notantur? Ostendat, quinam sint *illi septem Angeli, per septem Stellas in manu Salvatoris* figurati? Reddat rationem, cur Spiritus S. ad has septem Ecclesias, *reliquis præteritis*, scribere jubeat, præsertim in hoc Vaticinio, *Futura docente*? & satis, ut opinor, sudabit.

Pergo jam: & *septem Agni Cornua*, *Oculosq́; septem* ejusdem *Apoc. Cap.* V. *v.* 6. considero. *CORNUA* sanè in S. Literis vel *Reges*, vel *Regna* denotant, ut ex *Daniele & Apocalypsi* satis constat. Atqui Christus unicus Rex est, in æternum regnaturus, unicumque in his terris habet Regnum, quod est Ecclesia: hîc verò *septem* habentur *Cornua*: proinde septem unius ejusdemque Regni partes, quas *rectè Septem Ecclesias dixeris, seu Ecclesiæ unius septem Ætates figurant*. Et hæc sunt illa fortissima Cornua *Bestiis illis cornutis* opponenda, quæque tandem etiam Animalia illa Cornibus superbientia, potestateque suâ in perniciem Ecclesiæ abutentia, vincent ac delebunt. ***Ut & cornua & Oculi in Agno.***

Quoad *Synchronismum* igitur, *Cornua hæc septem, cum Tubiciniis & Ecclesiis coincidunt*; licèt, *quoad rem* ipsam, his Cornibus ad *Potentiam Agni* in Regno suo, Ecclesia nimirum, exercendam respiciatur: ceu *Candelabris* ad *Lucem Doctrinæ*.

Idem judicium esto de *OCULIS Agni*, qui utique *Providentiam divinam* notant; cùm autem *Septem* in Agno appareant, eo ipso docetur, hanc unicam Christi Providentiam circa has septem Ecclesias, sive *septem unicæ Ecclesiæ ætates, vel periodos*, occupari. Mutuatus autem est hos *Oculos* Apostolus à Propheta *Zacharia*, qui *Cap.* III. *v.8. & 9.* ita loquitur: *Audi Jesu*, (sic habet *Vulgata*, in *Fonte* est יְהוֹשֻׁעַ) *Sacerdos magne, Tu & Amici tui, qui habitant coram Te, quia viri portendentes sunt* (כִּי אַנְשֵׁי מוֹפֵת Viri portentorum, i. e. mera portenta) *Ecce enim ego adducam Servum meum Orientem* (צֶמַח) *Quia ecce Lapis, quem dedi coram Jesu: supèr unum lapidem septem Oculi sunt.* Hæc Zacharias. Novimus autem, quem repræsentet Pontifex ille Maximus *Jehosua*, nempe *Jesum Nazarenum*: quid verò *Septem Oculi* figurent, nosse poterimus, si etiam alterum *Zachariæ* locum *Cap.*IV. *v.2. & 3.* perpendemus, *Vidi*, inquit Propheta, *& ecce Candelabrum aureum totum, & Lampas ejus super Caput ipsius, & septem Lucernæ ejus super* illud, & septem infusoria Lucernis, quæ erant super *caput ejus.* Hæc explicantur posteà *v.* 10. his verbis: *Lætabuntur & videbunt Lapidem Stanneum in manu Sorobabel. Septem isti, Oculi sunt Domini, qui discurrunt in universam terram.* En, benigne Lector, hîc *septem Oculi, & septem Lucernæ* in aureo Candelabro, Prophetæ unum idemque sunt, & *septem Dei Spiritus* notant.

Jam confer *Apocalypsin Cap.* IV. *v.*5. ubi dicitur: *Et septem Lampades ardentes ante thronum, qui sunt septem Spiritus Dei.* Et *Cap.*V. *v.6. Agnum stantem* (sc. vidi) *velut occisum, habentem Cornua septem, & Oculos septem, qui sunt septem Spiritus Dei, missi in omnem terram.*

Ex quibus collatis, & probè expensis, patet, *septem Stellas in manu Salvatoris; septē aurea Candelabra; septem Faces ardentes; septem Cornua; septem denique Oculos Agni: Unam eandemque, sed in septē Periodos divisam, & septiformi Spiritus S. munere gubernatam Ecclesiam nobis depingere.* Benè *Lutherus*: *Sunt septem isti Oculi, varii, & omnes pii ac boni Christiani, qui per Spiritum S. illuminati & illustrati sunt, & præcipuè hi, qui alios docent, erudiunt, ac ducunt.* Hæc ille. Sed cur omnes

omnes pii ac boni Christiani, hoc est, universa omnium temporum Ecclesia, per septem Oculos, non plures, nec pauciores figuretur, id est in quæstione: quam etiam jam decidi.

Nihil etiam huic Sententention derogat, si per hos *Septem Spiritus*, *ipsum Spiritum Sanctum* intelligamus, qui jamdudum in Ecclesiæ precibus *Septiformis* dictus est; ex quo loco verò Scripturæ id desumtum sit, nisi hunc ipsum *Apocalypseos*, aut *Zachariæ* Prophetæ locum producamus, me latet: *Esaiæ* enim locus, qui allegari solet, tantùm sex prædicata exhibet, uti jam dum benè in *Antibarbaro Biblico* suo *Sixtinus Amama* monuit. *Spiritus septem.*

Convenientiùs tamen esse judico, si non *ipsum Spiritum Sanctum* intelligamus hoc loco, sed ejus *Dona*, *septem Ecclesiæ ætatibus* concessa & exhibita. Esset enim admodùm dura locutio, Unicum illum Spiritum septem dicere Spiritus. Quòd si quis regerat: Johannem ab his septem Spiritibus precari Pacem & gratiam Ecclesiis quæ apprecatio hoc loco ipsum Spiritum S. intelligi debere clarè evincat. Is responsum habeat, nondum satis liquere, Apostolum ab his septem Spiritibus precari Salutem Ecclesiis. Si enim Articulus τοῦ, ut in Sacris fieri assolet, ἀπὸ τοῦ καινοῦ repetatur, & Ellipsis ex *Capite quinto* suppleatur, in hunc modum: καὶ ἀπὸ τοῦ τῶν ἑπτὰ πνευμάτων, ἃ ἐστιν ἐνώπιον τοῦ θρόνου αὐτοῦ κυρίου. nihil incommodi exinde sequetur; sed sequentia exegesin quandam præcedentium suppeditabunt, & Salutationem hanc Apostolicam totam ad secundam Divinitatis Personam, Dominum nostrum JesumChristum, utpote cujus Corpus mysticum descripturus erat Evangelista, pertinere patefacient. Hinc Ipsum vocat, quasi per Solæcismum, ὁ ὢν, καὶ ὁ ἦν, καὶ ὁ ἐρχόμενος, partim ut respiciat ad *Exod. III. Caput*, & Nomen *Jehovæ* Christo, ut vero Deo, competere asserat; illumque Ipsum fuisse, qui olim Mosi in Rubo ardenti locutus. Israëlitas ex Ægyptiacâ servitute eduxit, & proinde suam quoque defensare possit Ecclesiam: partim ut *Bestiæ* opponat; quæ etiam in hoc Libro dicitur fuisse, non esse, & tamen esse, & reditura esse. Colligo insuper hoc ipsum ex *Cap.* III. *v.* I. ubi Salvator hunc sibi adscribit Titulum: *Hæc dicit, qui habet septem Spiritus Dei, & septem Stellas.*

Non tamen cum quoquam hac de re digladiabor: eodem enim res recidit. Qui enim per hos

ſeptem Spiritus, ipſum Spiritum Sanctum intelligunt, rationem reddere tenentur, quare unicus ille Spiritus, per ſeptem oculos, per ſeptem faces ardentes, per ſeptem Lucernas, per ſeptem Cornua adumbretur? & cur tandem *Septem* Spiritus dicatur? Nullam ſanè aliam dare poterunt, quæ etiam firma ſit, & Septenarium Numerum toties non dicis gratiâ repetitum exprimat, quàm hunc ipſum Spiritum, gratioſo ſuo munere univerſam Eccleſiam; quæ, ut in præcedentibus evidentiſſimè probatum eſt, in ſeptem Tubicinia, ſive Periodos, aut Ætates eſt diviſa & diſtincta, indeſinenter colluſtrare.

Sigilla ſeptem. Pertinet huc *Liber ſeptem Signaculis clauſus*, totidemque etiam actibus inſignioribus recludendus: per quem, ſive cum *Cornelio à Lapide* Providentiam prædeſtinationemque Dei circa fata Eccleſiæ, in præſcientiâ divinâ, tanquam in Libro, ſcriptam; ſive Apocalypſin, cum *Ribera*, & aliis, ſive, quod res eſt, *Totam Veteris Teſtamenti Scripturam, Novi Teſtamenti Vaticiniis non prorſus excluſis*, intelligamus: noſtræ ſententiæ nihil derogare poterit. Septem enim *Sigilla*, ſeptem Actibus reſignanda, totidem monſtrant Periodos; præſertim ſi ultimam Sententiam, quam *ſequenti Capite* contra *Riberæ* Objectiones tuebor, de Scripturâ Sacrâ V.T. novis non planè excluſis, amplectimur. *Si enim ſeptem Actibus tota completur Scriptura, Diem pantocriticum ultimo actu contineri, ſeu illi conjungi, concludere licet*, & proinde his Sigillis reſignandis ſtatuminari ſententiam de ſeptem Ætatibus. Quod eò magis liquet; quia reclusio *primi Sigilli* cum tempore *primi Tubicinii* coincidit. *Terminus à quo Sigilli primi.* *Terminus* enim *à quo, Sigilli primi, eſt Redemtio per Sanguinem Agni Cap.* V. *v.* 9. & *ſtatio Agni victoris coram Throno, ibid. v.* 5. Collatus hic terminus cum termino Tubicinii primii, idem exhibet nobis Tempus. Quod ſi apertionem *Sexti Sigilli* paulò penitius intuemur, videbimus eam cùm Tubicinio ſexto, quoad Synchroniſmum, coincidere: ſi præſertim *Capit.* VII *v.* 1. cum *Cap. IX. v.* 15. & 16. contulerimus. Utrobique enim *Quatuor illi Angeli*, univerſæ Terræ nocentes introducuntur.

Unde patet, Sigilla ſeptem cum Tubis ſeptem, quoad Synchroniſmos, licèt non ſemper quoad eandem Hiſtoriam, coincidere; & ita ſeptem dari Ætates, ſive Periodos principaliores.

Hæc

Hæc, quæ jam dicta sunt, multum lucis afferre possunt Apocalypsi: quò tamen hæ septem *Faces ardentes* plenius de se spargant lumen, agedum Oleum ipsis affundemus, & paululùm intentiori oculo eas intuebimur.

Dixi in præcedentibus, *totum Tempus Ecclesiæ Novi Testamenti absolvi septem Tubiciniis Angelicis*, seu, quod idem est, *septem Jubileis Angelicis*. Quod enim Latinis *Tubicinium* est, id est Hebræis *Jobel*, *seu Jubileum*. Munii autem hanc Sententiam, ut puto, satis fideliter, ut eam vix quisquam poterit infirmare.

Tria tamen adhuc desiderantur: Primò, ut sciamus, *an illa Tubicinia sint à se invicem distincta sibiq; continuò succedant, nec ne*? Secundò: *an illa Tubicinia sint æqualis, an inæqualis quantitatis*? Et tertiò: *quantum Temporis unumquodq; Tubicinium in se contineat*? *Tria enucleanda.*

Primum quod attinet: affirmo, Tubicinia esse distincta, & sibi invicem continuò succedere: quod probo ex *Cap.* VIII. *v.* 13. Ubi Angelus quidam voce magnâ exclamat, *Væ, Væ, Væ, habitantibus in terrâ, de cæteris vocibus trium Angelorum, qui erant* (rectius *sunt*, vel *erunt*) *tubâ canturi*. Posteà ubi *Cap.* IX. descriptum est Tubicinium quintum, concluditur his verbis, *v.* 12. *Væ unum abiit, & ecce veniunt adhuc duo Væ post hæc*: & immediatè additur: *Et sextus Angelus tubâ cecinit*. Post descriptionem autem sextæ Tubæ *Cap.* XI. v. 14. dicitur: *Væ secundum abiit, & ecce tertium Væ citò veniet*. Et iterùm immediatè additur: *Et septimus Angelus tubâ cecinit*. Ex quibus liquidò patet hæc tria ultima Tubicinia esse à se invicem distincta, & sibi immediatè succedere. Quod autem de his tribus asseritur, idem de prioribus quatuor asserere necessum habemus; nec ulla dari poterit ratio, quare illa priora sint confusa; cùm absoluto primo mox secundum subjungat Johannes, & descripto secundo tertium, tertio autem quartum continuò succedere dicat. *Tubicinia à se invicem sunt distincta, sibique continuò succedunt.*

Secundo: quòd paris sint quantitatis hæc Tubicinia, non veremur affirmare; quia in Scripturis S. ut & in communi vitâ, *par temporis denominatio, addito numero, semper etiam paritatem quantitatis importat*: ut cùm dico: post tres dies; cujus quantitatis est primus dies, ejus etiam quantitatis reliqui esse intelliguntur: aut septuaginta Hebdomades; cujus quantitatis est prima hebdomas, ejus etiam sunt reliqua: si prima est communis, septem constans die- *Sunt paris quantitatis.*

bus,& reliquæ tales erunt; si verò prima est Hebdomas Angelica, septem constans annis,& cæteræ tales erunt. Et id non solummodò in consuetis temporum denominationibus procedit, sed etiam *in mysticis*. Ut *Gen. XL. tres propagines Vitis, tres Dies æquales* notant: ut & *tria Canistra* ibidem etiam *tres Dies* æquales figurant. Sic *Cap.* XLI. *Septem Vaccæ, & septem Spicæ, Annos septem* unius ejusdemque quantitatis denotant. Sic *septem Tubicinia Angelica* etiam æqualis erunt quantitatis; cùm ratio dari non possit, quare sint inæqualia. Quin tota Apocalypsis tali inæqualitate redderetur inexplicabilis, quod intentioni divinæ repugnare, *suprà* firmissimis argumentis probavimus. *Jure ergò meritoq; unam eandemque quantitatem harum septem Periodorum agnoscimus.*

Quantitas Temporis Tubiciniorum eruenda.

Superest itaque *Tertium* ζητούμενον, *quantum scilicet Temporis unumquodq; Tubicinium contineat?*

Hic non dubito, multos repertum iri, qui hoc ipsum humanâ industriâ erui posse, strenuè negabunt: cùm ipsorum judicio, de istâ quantitate omninò tacuerit Spiritus S. Sed fortè etiam non tacuit; quin pluribus in locis, licet paululum obscurè, istam temporis quantitatem depinxit. Scrutabimur itaque Scripturas, more urinatorum, aut metalli fossorum, quo uniones & aurum è latebris suis in lucem, divinâ adjuvante gratiâ, producamus.

Utique explanaturus Apocalypsin, tenetur nobis ostendere, quando incipiat non modò primum, sed & secundum, & tertium, & quartum, & reliqua Tubicinia: aliàs ejus Explicatio nulla est, sed tantùm incerta conjectura: jam si vel secundi initium nobis quispiam ostenderit, habebimus primi Tubicinii quantitatem, & per consequens etiam reliquorum. Mirum autem foret, nullius Tubicinii, præter primi, principium, cujus jam *Terminus à quo* satis liquet, posse demonstrari: dato autem vel unico, finem præcedentis assequimur, & calculo ducto, cujusvis quantitatem eruere valemus. Et quamvis actus in Ecclesiâ complendi, & in Apocalypsi ænigmaticè descripti, non semper initium & finem Tubicinii attingant sed sæpius in medio Tubicinio complementum sortiantur: nihilominus tamen, cùm Sigilla cum Tubis coincidant, ut *supra* probatum; ex Actibus primi, secundi, tertii, & quarti Tubicinii & Sigilli inter se collatis, & ratione Temporis perpensis, facilè unius aut al-

terius

terius Tubicinii quantitatem monstrare poterimus. Hac tamen viâ, utpotè nimis impeditâ, & salebrosâ, non procedam, sed aliâ utar magis commodiori, & verè regiâ.

Possemus autem non improbabiliter unicuique Tubicinio assignare *Annos trecentos & sexaginta*: totidem enim ipsa Apocalypsis *Cap*.XII.*v*.14. pro unâ periodo temporis accipit. Allegato enim loco dicitur Ecclesia in deserto mansura, alenda *per Tempus, Tempora, & dimidium Temporis*; hæc quantitas *v. 6.* Numeris exprimitur, nempe per *1260*. dies: unde claret, unius Temporis periodum hoc loco constare trecentis & sexaginta diebus, scil. Angelicis, sive totidem Annis: nam *360*. ut tempus; *720*. ut duo tempora; & 180. ut dimidium temporis, *mille ducentos & sexaginta Annos* efficiunt. Et forsitan non adeò multum aberraturi essemus, si accuratiori destituti Calculo, hunc ipsum acceptaremus. Quia verò loco allegato respicitur ad Anni dies, cujus singuli Menses triginta diebus constant; hoc autem loco *Tubicinia* introducuntur, nullum est dubium, hac ipsâ voculâ *Tubâ*, singulare quid portendi, & ad loca quædam V.T. respici: quare nostrum erit, ea sedulò indagare, latentem exinde Veritatem educere.

Prior locus, ad quem hisce *Tubis* respicitur, habetur *Levit*. XXV.*v*.8.9.& 10. *Numerabis tibi quoque septem hebdomades Annorum*, inquit Jehova, id est septies septem, quæ simul faciunt *Quadraginta novem. Et clanges buccinâ mense septimo, decimo die mensis propitiationis tempore in universâ terrâ vestrâ. Sanctificabisq; Annum quinquagesimum, & vocabis remissionem cunctis habitatoribus terræ tuæ: ipse enim est Jubilæus.*

En, amice Lector, *Analogismum*! Quemadmodum *Annus Jubileus* ipso die propitiationis, quo summus Sacerdos in Sanctum Sanctorum ingrediebatur, incipiebat. ita *Jubilea Angelica* à completâ & promulgatâ propitiatione per Christum factâ, initium suum capessunt: & quemadmodum buccinâ clangendum erat, sic hoc loco Angeli Tubicinatores clangentes buccinis suis in theatrum producuntur, utpote perpetuum Jubileum per Christum partum indicaturi, universæque Terræ promulgaturi.

Ubi

Jubileum vulgare quantum Temporis contineat.

Ubi operæ pretium erit, priusquam pergamus, considerare quantum temporis *Jubileum vulgare* contineat? Constat autem septem Sabbathis, seu septies septem *Annis*, id est, *quadraginta novem*, uti expresse Textus docet. Semper ergò quadragesimo nono recurrente anno, decimo die mensis septimi clangebatur buccinâ, & reliqui quinque menses anni, cum diebus superfluis mensis septimi à die decimo, sanctificabantur in Jubileum, ubi ab agriculturâ, & semento faciendo erat abstinendum Judæis: succedebat Annus quinquagesimus, cujus priores sex menses etiam sancti erant, quibus nec metere, nec serere licebat, quin etiam nihil habebant, quod meterent, quia anno præcedenti nullum fecerant sementum: peractis autem mensibus sex prioribus, post festum Expiationis, ad agriculturam revertebantur. His consideratis, ἐναντιογραφεία in hoc Capite optimè tolli poterit: quando *v.10. Annus Jubileus* vocatur *Quinquagesimus*; *versu* verò 22. dicitur: *Seretis anno Octavo*; cùm tamen quinquagesimus annus esset octavus, in quo, quia Jubileus erat, serere non licuit. Imò licuit; quia tempore sationis faciendæ jam desierat Annus Jubileus. Et hinc Annus quinquagesimus ratione priorum mensium est Jubileus; ratione verò posteriorum, est vulgaris & communis; & in ordine computi primus sequentis Jubilei. Initium enim computi ab initio Anni, & non à mense septimo, ubi Jubileum cessabat, desumebatur. Unde *Quadraginta novem anni* exactè completi Periodum unam unius Jubilei vulgaris absolvunt. De qua re contra dissentientes videri poterit latè disserens *Sethus Calvisius in suâ Chronologiâ*: cui addendus B. *Gerhardus*, *in Præfat. Tom.* II. *Harmoniæ Evangel. ad Illustriss. Principem Georgium Landgrafium Hassiæ.*

Verùm hîc nobis non vulgaria Jubilea, sed Angelica sistuntur, quare in his solis non est acquiescendum: cùm effluxa temporis quantitas, factâ expiatione per Christum satis moneat, septem Jubilea vulgaria jam aliquoties præteriisse, ut hinc colligere valeamus, Jubileum *Angelicum* multo tempore *vulgare & commune* superare. Quantum verò temporis contineat, expressis verbis, quod sciam, nullibi in Sacris; sub involucris tamen aliquoties, habetur. *Hoc Anno* 1663. quo in explicatione Apocalypseos occupor, à Periodo datâ Apocalypticâ effluxerunt Anni 1631. qui per septem divisi,

visi, pro una parte relinquunt Annos 233. sed cùm nondum præterierit Sextum Tubicinium, (uti suo loco monstrabitur) hæc summa nondum quantitatem unius Jubilei attingit; sed major est invenienda.

Vocula sanè *Tuba* nobis in mentem revocat locum *Josuæ* VI. *cap.* ad quem his Tubiciniis Angelicis respici, tanquam ad *alterum locum*, cum priori conjungendum, nullum est dubium. Ibi autem ex mandato divino *Arca Domini per septem dies* circa Jericho portatur, quam *septem Sacerdotes cum septem Tubis*, quarum usus est in in *Anno Jubileo*, præcedunt, & clangunt, *septimo autem die*, factâ vociferatione, muri urbis corruunt, & Jericho igne crematur, fitque anathema.

Typum hîc subesse, quivis videt, & multi præclari Theologi id dudum statuerunt; qualem verò in Novo Testamento Antitypum sortiatur, seu quid propriè portendat, non adeo obvium est. *B. Matthesius* equidem hoc typo finem Mundi adumbrari arbitratur: & benè quidem. Si enim septem Tubicinatores Apocalypticos, cum his septem Sacerdotibus Tubicinantibus per septem dies contulerimus, simulque perpenderimus, sub septimo Tubicinio, quod dudum probavimus, Mundum corruturum esse, quemadmodum Josuæ tempore septimo die Jericho corruebat, facilè Harmoniam horum Vaticiniorum spectabimus: præsertim cùm Terræ Canaan occupatio typus sit occupandæ cœlestis Hæreditatis fidelium. Monuit ergo Deus hoc ænigmate, ab ingressu in terram promissam, hoc est, à promulgatione Evangelii, usque ad finem Mundi præterituros esse septem dies mysticos, quemvis autem illorum septeno clangore tubarum Jubilei fore illustrem. Quòd si quis *Josephus* adesset, illicò diceret: *Septem Sacerdotes cum Tubis Jubileorum sunt septem Jubilea.* Eadem enim est ratio Somniorum vatidicorum, & typicarum adumbrationum. Qui ergò per septem Vaccas septem annos, & per tres vitis propagines, tres dies intelligi debere videre poterat; sanè is etiam, si vidisset post latam de Jubileis legem, septem Sacerdotes cum tubis Jubileorum, vel in typo, vel in somnio quodam, septem exinde concepisset Jubilea; cum multo facilius hoc cognosci possit, quàm *tria canistra tres dies* denotare, cùm instrumentum ipsum nomine suo visionem quadantenus explicet. *in Concion. nupt.*

L Nec

Nec obſtat, quòd Joſephus id immediato Spiritûs prophetici ductu noverit, quo dono nos hodiè deſtituimur: quæ enim ſcripta ſunt, in noſtrum uſum ſunt ſcripta, & à docto interprete interpretari nos etiam diſcimus, præſertim tot adminiculis adjuti.

49
7
———
343

Colligimus ergò ex hoc Typo, *quodlibet Tubisinium Angelicum continere ſeptem Jubilea vulgaria ſive communia*; quorum quodlibet annos continet quadraginta novem, ita ut *unum Jubileum Angelicum conſtet Annis trecentis & quadraginta tribus.*

Jubileum Angelicum continet 343. Annos.

Et hunc Computum etiam nos credere jubet *Analogismus Temporis.* Sapientisſimus enim menſurator temporis, Deus, omne Tempus per *Septenarium* diſtinxit; ita ut ſeptem Dies Hebdomadem; ſeptem Anni Sabbathiſmum; ſeptem anni Sabbathici verò Jubileum abſolvant; tota inſuper Periodus Eccleſiæ N.T. Septenario conſtet: admodùm probabile igitur eſt, etiam quodlibet Jubileum Angelicum, totius ſui naturam, ut partem æmulari, ſimulque etiam Septenario abſolvi: cùm præſertim Apocalypſis tantoperè gaudeat Numero ſeptenario.

Locus Zachariæ explicatur Cap. IV. v. 2.

Confirmat inſuper hanc Sententiam Viſio Prophetica *ſuprà* hoc ipſo Capite, ex *Zachariæ Cap.* IV. allegata, ubi *ſeptem Lucernæ*, in Candelabro aureo Prophetæ oſtenſo, per *ſeptem Oculos Domini*, in univerſam terram emiſſos explicantur, quæ utique, uti *ſuprâ* monſtratum & probatum eſt, *ſeptem Eccleſiæ Ætates* deſignant. Singulis autem ibidem Lucernis ſeptem tribuuntur infuſoria, ut rectè *B. Lutherus* in Germanicâ verſione reddidit. Sic enim habet Hebræus Textus: וְשִׁבְעָה נֵרֹתֶיהָ עָלֶיהָ שִׁבְעָה וְשִׁבְעָה מוּצָקוֹת לַנֵּרוֹת h.e. *Et ſeptem Lucernæ ejus ſuper illud: ſeptem & ſeptem infuſoria lucernis.*

Quæ verba manifeſtè docent, ſingulis Lucernis ſeptem infuſoria eſſe asſignanda: id quod illa reduplicatio numeri ſibi vult. Solet enim Lingua Hebræa hac phraſi efferre, ſi quando indicare vult, unum numerum aliquoties multis tribui debere: ut *Geneſ.* VII. *v.* 2. *Ex omni jumento mundo capies tibi ſeptena ſeptena*: i. e. ex quavis ſpecie ſeptem paria: ſic *v.* 15. ingreſſa ſunt bina & bina, i. e. de quavis ſpecie bina. Et quoniam explicatio horum locorum poſſit eſſe ambigua, adduco alium locum clariorem, is habetur *Numer.* XXVIII. *v.* 13. *Et decimam decimam ſimilæ, munus confuſæ in oleo ad agnum*

agnum unum: i. e. ad quemlibet agnum, quorum sunt septem *v. 11.* decimam unam. Quod claret, si conferamus *v. 29.* qui sic habet: *decimam decimam ad agnum unum, septem agnis*: cum *v.4.Cap.* XXIX.qui eandem materiam sic effert: *Et decimam unam ad agnum unum, septem agnis.* Benè *Lutherus*: zu einem jeglichen Lamme einen Zehenden. Confer etiam *v.15.* ejusdem *Capitis*: item *Exod.* XXVI. *v.* 19. Sic *Josuæ* III. *v.*12. *& Cap.*IV. *v.* 4. Ita 1 *Chron.* XXVIII. *à v.* 13. *ad* 16. ejusmodi repetitio aliquoties habetur, & semper per τὸ *quodvis*, aut τὸ *singula*: est exponenda. Et plures alii loci in Fontibus occurrunt, ubi ejusmodi repetitio nihil aliud dicit, quàm vel numerum repetitum, vel non repetitum, singulis, de quibus eò loci sermo est, tribui debere: ut *Esræ* X. *v.*14. *Seniores civitatis & civitatis*: id est, singularum civitatum: sic & hoc loco: *septem & septem infusoria lucernis*: i.e. cuilibet Lucernæ septem infusoria. Hæc autem cùm mystica sint, satis innuunt, quamlibet Periodum, quæ per *Lucernas* denotatur, septem constare partibus æqualibus: quod nostræ sententiæ egregiè favet.

Concludimus ergò, *quodlibet Tubicinium Angelicum septem continere Jubilea vulgaria, nempe Annos Trecentos quadraginta tres; & sic totam Periodum Ecclesiæ N.T. constare Annis Bis mille & quadringentis cum unitate.*

Poterant hæc sufficere: pergimus tamen, & datam Periodum ulteriùs confirmamus. *Cap.*IV. *Apocalyps.* videt Johannes in Spiritu, *Sedem positam in Cælo, & supra sedem sedentem, similem aspectui lapidis Jaspidis & Sardini, iridemq; in circuitu sedis similem visioni Smaragdinæ: & in circuitu sedis vidit Sedilia viginti quatuor, & super thronos Viginti quatuor Seniores, sedentes circum amictos vestimentis albis, & in Capitibus eorum Coronas aureas.* Singula jam non attingo: hac vice solummodò solliciti erimus de *Senioribus Viginti quatuor*, quid nobis repræsentent. *Seniores XXIV. quid notent.*

Cùm autem Prædicata, iis in Apocalypsi tributa considero, nihil aliud concludere valeo, quàm *hos Viginti quatuor Seniores Universam Ecclesiam Novi Testamenti referre*: quod potissimùm liquet ex *v.8. & 9. Cap.*V. ubi hi 24. *Seniores coram Agno procidunt, habentes singuli citharas & phialas aureas, plenas odoramentorum, quæ sunt Preces Sanctorum: & cantant canticum novum, dicentes: Dignus es*

Domine, accipere librum, & aperire Signacula ejus, quoniam occisus es, & redemisti Nos Deo in Sanguine tuo, ex omni tribu & linguâ, & populo, & natione, & fecisti nos Deo nostro Regnum & Sacerdotium, & regnabimus super terram. Ex quibus sic colligo: Ii intelliguntur per 24. Seniores, *qui, post occisum Agnum, tempore aperiendi & aperti Libri obsignati*, cantant canticum novum; quique Agni sanguine ex omni tribu, linguâ, populo, & natione Deo sunt redemti, quique Regale Dei sunt Sacerdotium; & in hac terrâ cum Christo regnabunt; quique Sancti dicuntur, & preces Agno offerunt: Atqui Universa credentium Ecclesia N. T. talis est: Ergò illa nobis hic sub imagine horum Seniorum sistitur ob oculos. *Et*, ne quis inferre possit, depingi hoc loco Ecclesiam, quæ fuerit tempore Johannis Apostoli, utpote sub Apertione Sigilli primi, obstat *Capit*. XI. *v*. 16. 19. ubi sub *Ultimo Tubicinio* itidem hi 24. Seniores introducuntur, gratias Deo agentes pro judicio in hostes exercito, & ulterius etiam per diem pantocriticum exercendo. *Neq;* etiam quisquam de universâ Ecclesiâ simul Veteris Testamenti subsumere potest: quia licet & illa redemta sit Sanguine Agni, repugnant tamen non pauca prædicata: quia hi 24. Seniores adsunt 1. post mactatum Agnum 2. tempore aperiendi Libri obsignati. 3. sunt ex omni linguâ & natione collecti: & 4. Johannes in Apocalypsi non præterita, sed præsentia & futura depingit. Unde patet, *nos rectè per hos 24. Seniores universam Ecclesiam N. T. intelligere.*

Cur autem Ecclesia per *Viginti quatuor Seniores* adumbretur; haud immeritò quis quærere posset? Mysterium certè subesse oportet! Sic est! Notatur hoc modo *Ecclesiæ & qualitas & quantitas*. *Qualitas* quidem, cùm hic numerus nos reducat in *Vetus Instrumentum*, nimirum ad 1. *Chronic*. XXIV. XXV. & XXVII. *Caput*: ubi *Cap*. XXIV. *distribuuntur Sacerdotes in Viginti quatuor familias sive ordines*: hinc nostri Seniores dicunt: se *Sacerdotes* factos esse. Deinde *Cap*. XXV. *Levitæ sub Asapho etiam in* XXIV. *Ordines sorte dividuntur, ut per vices Citharis & Psalmis canant in Domo Domini*: unde nostris Senioribus *Citharæ* affinguntur. *Capite* autem XXVII. *Exercitus Regius* describitur, *cujus duodecim erant turmæ; quælibet autem Turma continebat 24000. & sic* XXIV. *Chiliarchas*; *erant autem hæ turmæ ex omni Tribu collectæ*: hinc nostri Seniores dicunt: se *ex omni Tribu* redem-

redemtos esse Agno; quin se etiam *Reges* vocitant, quia Regius hic erat Exercitus. Et hoc modo *officium Christianorum*, quod est, hostiam viventem se Deo offerre, ut & sacrificium laudis; simulque regere affectus, & militare contra Satanam & Mundum, describitur.

Quantitas in *Numero* latet, qui non gratis olim typo adumbratus, hoc loco, ut suum antitypum monstret, repetitur. Clavis autem habetur *Gen.* XV. *v.* 13. *&* 16. inter se collatis: ubi *Israelitæ in Ægypto dicuntur servituri Quadringentis annis*: & postea dicitur: *post Quartam Generationem eos ex servitute reversuros esse illuc.* Jam dico: *Quot sunt Seniores, tot sunt Generationes, & quot generationes, tot Centenarii annorum*: *Ergò Viginti quatuor Seniores, seu Generationes dabunt Annos Bis Mille quadringentos*: qui Numerus exactè nostram Periodum refert, excepta unicâ unitate, quæ in tantâ Summâ non attenditur. Unde patet, *rectè tantundem Temporis Tubiciniis esse assignatum.*

Et idipsum etiam notant *Quatuor illa Animalia* eodem Capite IV. descripta, quæ quidem ex *Esaia*, *&* *Ezechiele Prophetis* noster *Johannes* desumsit; de quibus *alio loco* uberius agemus, eaque paulò accuratiùs intuebimur: jam solùm ipsorum *Alas* numerabimus. Denotant autem *hæc Animalia idem quod Seniores*, quia eadem Prædicata iis tribuuntur: eadem verò Prædicata idem subjectum monstrant: cùm ergò Viginti quatuor Seniores Totam N. T. repræsentent Ecclesiam, idem de his quatuor Animalibus erit asserendum: & *Synchronismus* Animalium cum Senioribus, his verbis egregiè notatur: *cùm darent Animalia gloriam & honorem, & benedictionem sedenti super thronum viventi in secula seculorum, procidebant* 24. *Seniores ante sedentem in Throno, & adorabant viventem in secula seculorum.* Et Cap. XIX. *v.* 4. *Et prociderunt Seniores* 24. *&* *quatuor Animalia, & adoraverunt Deum insidentem in Throno, dicentes Amen, Alleluja!* En! laudationes Animalium, & adorationes Seniorum uno eodemque tempore coincidunt. Proinde jam *Alas* numerabimus: singulis autem, quorum *quatuor* sunt, *senæ* tribuuntur Alæ: totidem igitur hæc quatuor Animalia habent *Alas*, quot sunt Seniores, nempe *viginti quatuor*: nam sexies quatuor dant viginti quatuor: unde nullum est dubium, has Alas totidem etiam notare Centenarios Annorum; cùm aliàs apud *Danielem* Cap. VII. Alæ *Regna*, *v.* 6.

Quatuor Animalia quid.

vel etiam *nobiliores partes unius ejusdemq; Imperii v. 4.* denotent; Christi autem Regnum in Mundo sit unicum, cujus nobiliores partes, *non ratione locorum*, quia ratione loci totum mundum occupat, nec ad certum locum est restrictum; *sed* potiùs *ratione Temporum* per *Alas* figurantur. Unde denuò nostra Periodus stabilitur, quæ exhibet *Bis mille quadringentos annos.*

Tota Periodus N.T. continet Annos 2400.

Et hæc est illa Periodus, non è cerebello humano prognata, aut conficta, sed è divinis literis eruta & petita, cui omnes Numeri Apocalyptici & Prophetici admirabili *Harmoniâ* assurgunt, eamque, uti in progressu videbimus, pulchrè confirmant: quâ observatâ & debitè adhibitâ, facilis erit & perspicua Apocalypsios explicatio: hac verò rejectâ & neglectâ, non solùm Apocalypseos, sed multorum aliorum Vaticiniorum solida & accurata interpretatio penitùs est desperanda.

Atque sic glaciem secui à nullo hactenùs sectam, summique Dei beneficio januam aperui, per quam intromissi, abscondita illa Dei judicia ænigmaticè in Apocalypsi, aliisque locis Propheticis, adumbrata, & in Ecclesiæ commodum revelata, spectare poterimus.



CA-



CAPUT VII.

Apologiam præcedentium contexit, datamque Periodum defendit.

Licet ea Veritatis vis sit, ut etiam invitis illabatur animis, & in reluctantibus etiã stimulos relinquat sat acres: attamen, quia sæpe mentes hominum tantis opinionum nebulis sunt obductæ, ut ne lucidissimi Veritatis radii translucere queant, fieri solet, ut optima quæque spernantur non solùm, sed etiam invidiosè traducantur; si inveteratæ, & à Viris magnis fotæ opinioni refragentur. Et nihil tam benè dicitur, quod lingua inimica & virulenta reprehendere haud queat!

Unde facilis conjicere possum, quàm iniquam censuram subiturus sit hic meus conatus; cùm viam à nemine antea tritam ingressus, ausus sim certum Annorum numerum Ecclesiæ Novi Testamenti assignare. Quanquam enim Ipse in meâ sententiâ satis sim confirmatus, & certissimè noverim, me veram & genuinam dedisse explicationem, quam etiam subsequens eventus ab omni linguæ virulentiâ suo tempore evidenter liberabit; quamque etiam jam tùm multorum locorum Biblicorum concinna Harmonia probabilem reddit: ut huic meæ Periodo non adeò sollicitè timere habeam. Cùm tamen nova hæc & paradoxa videbuntur, priusquam aliqua ex prædictis complementum suum sortientur: opus habeo hunc fœtum ingenii mei Apologiâ quadam, ceu clypeo, munire, ne inermis

mis hostibus objiciatur. Prævideo enim, quæ & qualia objecturi sint, qui Mysteria hæc capere haud poterunt.

Objectiones contra datam Periodum N.T.

Audire enim cogar: 1. *Nostrum non esse, nosse Temporum momenta, quæ Pater posuerit in potestate suâ*, ex *Act. 1. v. 7.* 2. Experientiam docere, tales Calculatores egregiè falsos fuisse, aliosque fefellisse. 3. Ejusmodi autem ingenia elata & curiosa, cum merito sui ludibrio & prudentum virorum risu, experiri, verum esse illud Salomonæum, *Proverb XXV. v. 27. Scrutator Majestatis opprimetur à gloriâ.* 4. Affectare autem istos homines *donum Propheticum*, sed inde id consequi, ut toti mundo se deridendos propinent. 5. *Impium* esse, determinare Annorum numerum, & certam constituere Ecclesiæ Periodum; id enim refragari asserto Christi, *Matth.* XXIV. *v. 36. & Marc.* XIII. *v. 32. ne Angelos quidem, imò ne ipsum quidem Filium Hominis* in statu Exinanitionis *novisse diem & horam extremi judicii.* 6 Infrunitam autem sapere *Superbiam*, ejusmodi scientiam sibi arrogare, quæ ipsum Christum in diebus carnis suæ latuerit. 7. Nihil aliud tales calculatores efficere, quàm ut homines carnales magis reddant *securos*; si audiant, tantum temporis restare adhuc ad ultimum judicium; cùm tamen Christus & Apostoli securos territent adventu judicii extremi. 8. Et præterea *decurtandos esse dies* propter Electos. 9. Fuisse autem jam tempore Johannis *ultimam Horam*, nedum jam post tot effluxa Secula. 10. Probabilius esse instare jam diem illum pantocriticum, *cùm omnia jam sint impleta*; refrixisse enim charitatem, Epicureismum florere, audiri tumultus bellicos, & ubique terrarum maximum videri tumultum; quæ omnia Signa sint appropinquantis Judicis. 11. Et denique *Muneris mei non esse*, ut scribam; nec quenquam eam facultatem mihi contulisse; cùm *Doctoris* Titulo haud gaudeam, nec in publicâ & Academicâ verser luce, quibus competat calamo erudire Ecclesiam; non itidem Mihi, qui alioquin habeam, quod agam, si Officio meo deesse haud velim.

En, *Amice Lector!* cui, quæso, ejusmodi fulmina calamum è manu non excusserint; si modò frontem habeat, aut non peponem pro corde gerat in pectore?

Sed hoc hoc Te rogatum volo, ne me præjudiciis damnes, r iusquam audieris responsum meum: faxo enim intelligas, hæc in me

me conjecta, esse mera bruta fulmina, & fulgura saltem ex pelvi: ad singula enim ordine respondebo.

1. *Primum* quod attinet, lubens concedo, *nostrum non esse, nosse temporum momenta, quæ Pater posuit in potestate suâ*: Talia autem esse ea, quæ in S. Literis revelata sunt & consignata, fortitèr pernego; & idipsum ut probent, rogo illos, qui hoc objiciunt. Utiq; quæ Pater sibi soli reservavit, & Homines nosse noluit, illa etiam nec revelavit; sed, ut Christus loquitur, *in potestate sua posuit*: quæ verò revelavit, & annotare jussit, illa, ut *Sacras Scripturas*, vult omninò *scrutari Joh.* V. *v.* 39 Et impertinenter satis hic locus contra calculum nostrum adducitur: Nam Apostoli nondum percipientes, quale futurum sit Regnum Christi, opinione regni Mundani fascinati, quærunt è Christo, an eo tempore restituturus sit Regnum Israëlis? Respondet Christus: Ipsorum jam non esse scitari temporum momenta, quæ Pater suæ potestati reservaverit, seu tegenda, seu revelanda; sed illis incumbere, ut expectent promissum Spiritum S. quo paucos post dies illuminati, alii evasuri sint Viri, qui deinde satis clarè visuri sint, quale Regnum inchoaturus sit Ipse in terrâ: de Regno verò Israelitico mundano, sitne illud restituendum, nec ne, non opus esse, ut sciscitentur. Oppositum igitur est hoc dictum frivolis illis cogitationibus Apostolorum de Regno terreno, à Messia inchoando; & nostram non ferit sententiam.

Respondetur ad primam Objectionem.

Act. 1. *v.* 7.

Alioquin si nulla sunt scrutanda Temporum momenta, cur tot temporum Periodi expressis Numeris in Codice Biblico sunt annotatæ? additâ exhortatione, ut attendamus. Cur etiam *Annos illos* 1290. *Danielis*, *Cap.* XII. ut & *Annos* 1335. ejusdem Prophetæ, à multis ultimis temporibus intelligendos fore, expressè affirmatur? Fortasse nobis per ventos assa columba veniet, &, ne cogitantibus quidem, absque ullâ nostrâ industriâ, quod Ego non credo, illi Anni, ipsi Prophetæ obsignati, nobis innotescent! Quin potiùs sic judico, eos non absque labore & scrutinio fore manifestos, sive præterierint tum temporis, sive adhuc sint in fieri, cùm illius Prophetiæ genuinus sensus eruetur.

Et ut demus, *tum temporis* Apostolis omne scrutinium Temporis fuisse prohibitum; non propterea sequitur, fuisse id vetitum *omni tempore*; fuisse etiam prohibitum *Nobis*; alioquin & Paulus, &

Johannes neglecti mandati accusari possent : nobis autem frustrà tot temporum periodi revelatæ essent. Quin potius omnia suum habent tempus, quo & peragenda, & in apricum producenda sunt, quod exemplo adducto Danielis satis claret, utpote qui de temporum momentis sciscitari prohibebatur; cùm tamen Nos ad *Danielis* lectionem ab ipso Salvotore seriò invitemur, habeamusque illud promissum, fore ut aliquando illi obsignati Sermones clarè intelligantur, quod tamen absque Temporum scrutinio fieri haud poterit.

Resp. ad secundam Objectionem.

II. Ad *secundam Objectionem* respondeo, meâ nihil interesse, *quòd alii falsi sint, & fefellerint.* Unica enim est Veritas, à quâ qui abit, eum falli necesse est: hanc verò qui sequitur, ab omni errore est tutus. Quòd si alii non aberrassent, frustraneus hic meus esset conatus: meritò enim illorum placitis abstinerem. Quia verò illi Conjecturas saltim suas, Opinionibus nonnullis præpediti, proferentes, meritò falsi sunt; mihi liberum est Veritatem indagare, eamque inventam in lucem producere. Non autem illi aberrassent tam turpitèr, si, abjectis præjudiciis, solis Revelationibus divinis innixi fuissent, & debitâ industriâ ad Numeros, non dicis gratiâ, in S. Literis positos, attendissent, simulque ad Harmoniam universæ Scripturæ respexissent. Interim non omnibus jaculantibus metam ferire contigit propositam, sed uni præ reliquis brabeum tribuitur.

R ad tertiam Obj. Proverb. XXV. *v.* 27.

III. *Tertiò* : non est *Scrutator Majestatis,* qui SacramScripturam, ejus Majestatem pronus adorans, scrutatur. Illud vetitum & nugacis, si non maximè impii est ingenii; hoc verò seriò mandatum, & inter Pietatis opera potest referri. Neque curiosum est ad Numeros revelatos attendere, cùm in eum finem, ut inquirantur, à Prophetis sint annotati. Et prævivit nobis suo exemplo *Daniel Propheta*, qui ad *numerum* LXX. *Annorum captivitatis*, à *Jeremia* prædictorum, industriè attendit, & hac piâ meditatione ad preces ardentissimas incitatur, quas insignis comitatur Revelatio de Messiâ *post septuaginta Hebdomadas* exhibendo, *Dan.* X. Quin *Cap.* X. *v.* 12. commendatur ejusdem Prophetæ curiositas, & ardor noscendi fata Ecclesiæ, ne dum, ut tanquam elatio animi, quæ Deo placere haud potest, reprehendatur.

IV. *Do-*

IV. *Donum Propheticum* vel sumitur strictè,& comprehendit immediatam inspirationem; vel in latiori significatu, & tum nihil aliud est, quàm Donum Sacras Literas rectè interpretandi; sive id fiat in rebus fidei, sive in rebus quæstionis, fata Ecclesiæ concernentibus. Illud ut fanatici ingenii esset affectare, ita ab illâ affectatione planè sum alienus: credo enim illam immediatam inspirationem solis Apostolis,&Prophetis propriè sic dictis, competere. Quanquam non desint, qui asserant, Deum quovis seculo, extraordinario modo Homines quosdam dono prophetico instructos excitare, qui,omissis Dogmaticis,futuras & insigniores Regnorum & Rerumpublicarum mutationes prædicant: quam tamen litem Ego non faciam meam. Hoc verò,nempe donum interpretandi Sacras Literas,tantum abest ut deprecer,ut potiùs ingenuè confitear, me à teneris unguiculis eò incubuisse,ut S. Scripturam rectè interpretari queam; nec etiam me à Vaticiniis abstrusioribus abstinuisse fateor, sed ea sedulâ meditatione perpendisse concedo. Neque hic quicquam peccatum fuisse autumo,cùm ad interpretandum S. Scripturam sim vocatus; quin adhuc in cunis vagiens à piis meis Parentibus, τῶν ἐν ἁγίοις, ad sacrum ministerium destinatus, & Deo quasi consecratus & redditus. Unde *Hoc donum Propheticum* non affecto solùm, sed precibus etiam à Deo, ut donum Spirituale, & mihi, & Ecclesiæ utile,flagito. Quia autem Revelationibus Spiritus Sancti, in Scripturis annotatis,inhæreo, nil metuo,ut me piis deridendum propinem, licèt non semper traditionibus & placitis Majorum acquiescam, aut huic illive sententiæ hujus vel illius Autoris, me, in rebus hisce quæstionis,mancipem: Impii autem rideant, ut lubet; nihil enim illorum moror morosophiam. *Ad quartam.*

V. Sed *Impietatis* condemnor,quòd, contra Assertum Christi *certum Annorum Numerum* definiam,certamque constituam *Periodum*, quâ duratura sit Ecclesia Novi Testamenti, sicque *diem & horam ultimi Judicii* nosse præsumam. *Resp. ad quintam Objectionem.*

Operosiori hîc responso opus est,quia hoc Dicto sibi videntur triumphare, qui hoc objiciunt. Expressè enim inquit Salvator: *De die illo & horâ Nemo scit,ne Angeli quidem in cœlis, sed solus Pater.* *Matth.* XXIV. *v.*36. & apud *Marcum, Cap* XIII. *v.*32. additur: *nec Filius etiam.* *Matth. XXIV. v.36. Marc. XIII. v.32.*

M 2 Primò

Primò : si animus esset subterfugere Responsum, urgerem literam Dicti, quod solùm de *die & horâ* loquitur, non verò de *Anno & mense*. Et difficile admodum probatu esset, certò ostendere, dictum hoc ad latiorem terminum esse extendendum; cùm præsertim Periodum datam non confinxerim, sed ex Scripturâ S. sufficienter probaverim in præcedentibus, insuperque etiam ex totâ συναφείᾳ Textus monstrare possim: 1. eo loci, Christum ipsum, allegatione Prophetiæ Danielis, ad cujus lectionem attendere jubet, ad *Periodum quandam* à Spiritu S. *revelatam* nos remittere; 2. Diebus Nohæ comparare extrema tempora; qui tamen ad certam AnnorumPeriodũ revelatam, nimirum ad *annos centum & viginti, Gen.* VI. *v.*3. restricti erant: nec cognoverunt diluvium usque dum venisset, & sustulisset omnes: *ita erit & Adventus Filii Hominis*, inquit Salvator *e.l.* Comparans homines securos Patrifamilias incurioso, qui quidem sciat, ποίᾳ φυλακῇ, quâ vigiliâ fur venturus sit, nec tamen vigilet. Unde concludere possem, Dictum objectum, ita, prout verba jacent, esse intelligendum, nimirùm *de die & horâ strictè & propriè dictis*: præsertim quoniam sequenti *v.*38. vocula *Dies* in stricto sensu usurpatur: *Edebant, & bibebant, Uxores ducebant, ad eum usque Diem, quo ingressus est Noah in arcam.* Neque nuda Assertio hic valere posset, per Diem & Horam latiorem terminum esse intelligendum: sed idipsum certò probandum foret.

Quia verò hoc nonnullis subterfugium videri possit, Respondeo *secundò*: Me nec horam, nec diem, nec mensem, nec annum etiam certum ultimo judicio determinare & præfigere; sed hoc saltem dicere, quod Angelus in *Apocalypsi Cap.*X. pronunciat. *Ante septimum Tubiciniũ non venturum diem extremum; neque post illud tempus iri prolongatum.* Cùm autem *Tubicinium unum Annis* 343. prout in *præcedenti Capite* demonstratum est, constet; eo ipso nisi alii loci accuratiorem efflagitarent calculum, totidem annis ultimum diem in incerto relinquerem. Sed quia Spiritus Sanctus totam Periodum etiam in *Viginti quatuor* distribuit *Seniores*, qui *totidem* nobis *Secula* repræsentant, vi Scripturæ statuere cogor, hanc Periodum, usque ad ultimum vigesimum quartum Seculum iri extensum; ita ut de ultimo Seculo *ad minimum pars dimidia* impleatur: alioquin enim *non Viginti quatuor, sed tantùm viginti tres darentur Seniores.*

Acce-

Accedit, quòd Apocalypsis, uti suo loco monstrabitur, Ultimum tempus in septies quadraginta, seu quadragies septem partes dividat, & sic ultimos saltem *Quadraginta* annos, quos omnes impleri haud necesse est, in dubio & in incerto relinquat. Cui Sententiæ, utpote Scripturæ Sacræ non adversæ, sed ex illâ erutæ, tutus acquiesco, neque ut à Dicto allegato feriri possit metuo.

Respondeo *tertiò*: Etiamsi statuerem, datam Periodum, bis mille quadringentorum Annorum ita exactè compleri debere, ut ne mensis, aut dies ullus restet, quod tamen nuspiam dixi; nihilominus tamen ne Annum quidem ultimum, nedum diem, aut horam indubitatò nosse possemus; & id quidem multis de causis. *Primùm* enim Chronologi certant, & adhuc sub judice lis est, de vero *Anno Nativitatis Christi*, à quo reliqui Anni Ætatis & Ministerii Christi sunt numerandi. *Æra* sanè *Dionysii* Exigui, Abbatis Romani, taxatur à *Sigeberto*, & XXI. Annis fallere dicitur, referente *Pappo*, *in Epit. Hist. Eccles. p. m. 91.* Certè fallere eam Biennio etiam accuratiores Chronologi tradunt: de quâ re videri poterit *Calvisius*; *Glassius* item *in Exeges. Evang. Part. 1. Fest. Nativ. Chr. p. 450. Deinde*: nondũ satis constat de Tempore Ministerii Christi in his terris, quia & hic Viri literati à se invicem in diversum abeunt, cùm alii quinque, alii quatuor *Paschata* Ministerio Christi tribuant; de quâ re prolixè disputantes videri possunt, *Gerhardus, Harmon. Evang.* CLXVI. *p. m.* 929. & 930. *Calvisius, in Chronolog. Cap.* XLIX *p. m. 166. seq. Casaubonus Exercit.* XVI. *n. 1. p. m. 393.* Adscribam in gratiam Lectoris verba *Casauboni*: *Initio anni trigesimi quarti pollicetur Conditor Annalium, se in explicandis, quæ restant de Vitâ Domini nostri ἐν ἀνθρώποις πολιτευομένου, & Passione ejusdem, exactam temporum rationem allaturum. Quod utinam quàm fuit illi facilè polliceri, tàm fuisset facilè rebus ipsis præstare. Sed enim alios humeros, si fateri verum licet, id onus postulabat. Nam de numero annorum, quos in terris egit Christus, item Paschatum, quæ inter Baptismum & Passionem celebravit, sinè accuratâ cognitione Kalendarii Hebræorum, & Doctrinæ Cyclorum Solis & Lunæ, sperare se aliquid certi posse pronunciare; id verò est falsâ spe se lactare, eademq; opera sibi & aliis imponere. Quando enim quæstiones, istæ, similes his aliæ, expressis Scripturarum*

 testi-

testimoniis decidi non possunt; nihil melius neq; consultius video, quàm doctrinam temporum, & Epilogismos Cyclorum in subsidium vocare. Hæc secunda Navigatio est omnium tutissima. Huc usque *Casaubonus*, qui nos ad *Astronomiam* remittit. Sed prohdolor! & hîc habemus, quod desideramus. Nam, quia Tempus nihil aliud est, quàm mensura Cœli, hoc est, motus cujusdam sideris à dato puncto Cœli ad idem punctum, putà Solis & Lunæ; omnis Temporum supputatio ad hos motus est instituenda, maximaque Eclipsium habenda est ratio, è quarum computatione judicium fieri solet in rebus Chronologicis: atqui & hîc variant Astronomiæ periti. Calculum *Tychonis de Brahe*, ut optimum, sequitur præstantissimus Chronologus *Sethus Calvisius*: sed quàm & *Tycho*, licet excellentissimus vulgò habeatur Astronomus, à cœlo aberraverit, multis docet *Martinus Hortensius Delfensis, in præfat. ad Commentar. Philippi Lansbergii de motu Terræ: Judicet nunc Lector veritatis amans*, inquit, *an calculo Lunæ, & observationibus Tychonis tanta sit habenda fides, quantam iis inesse Tychonici neminem non jubent credere? & annon summo jure in illos retorquere liceat, quicquid Ptolomæo, quoad observationes, & motum Lunæ, contumeliosè obiiciunt. Nihil enim apud eos frequentius, quàm Ptolomæi Observationes & theoriam Lunæ à cœlo esse alienas: at quicunque dixerit, Observationes Tychonis in Lunâ erroneas esse, & calculum iis superstructum, fallacem, an falsum dixerit, aut nimium? Non est profectò artis, aliorum inventa sine causâ subvertere; sed veriora adferre, hoc opus, hic labor est.* Hæc ille. Et paulò post: *Videamus quæso, quid amplius in theoriâ Lunæ Tychonicâ desideretur. Hanc non tantùm, ob inconstantiam Observationum, à cœlo dissentire certum est, sed etiam, quia Tycho ei multa addit de suo, quæ in Cœlo talia non observantur. Primò enim Prog. Tom. I. pag. 50. de motu Lunæ, prostaphæresin Lunæ maximam in syzigiis, quam Ptolomæus invenit 5. gr. 1. scr. Alphonsini, Copernicus & Lansbergius 4. gr. 56, scr. facit 4. gr. 58. scr. 30. secund. Non quòd revera tantam ex Observationibus indubiis invenerit, sed quòd, pro more suo, medius iret inter Copernicum & Ptolomæum, ratus, se hoc modo non longè à verò aberraturum.* Hæc *Hortensius*. Judicet jam Lector peritus, cùm supputatio Temporis à motu Cœli dependeat, ille verò inter harum rerum peritos sit maximè controversus, an & hoc modo verum Annum Nativitatis & passionis Christi *certè & indubitato* elicere

cere

cere valeamus? Et cùm ex his duobus annis tota series Annorum periodi datæ dependeat, an certò & infallibiliter hujus Periodi annum ultimum nosse queamus? Accedit *deniq;*, quòd non expressè definitum sit, *quales Annos Apocalypsis intelligat, an Julianos, an Judaicos, an Nabonassareos,* quorum singuli tantum exhibent dies 360? *Pro his ultimis* pronunciandum esse, movere nos posset, quòd *Apocalypsis* 42. Menses, per dies 1260. exponit, ubi singulis Mensibus 30. saltem dies, uni Tempori verò 390. ascribuntur. Hos Annos si acceptaremus, à Periodo nostrâ decurtandi essent dies 12600. qui efficiunt Annos Julianos 34. cum diebus 190. *Annis* autem *Judaicis* favere posset, quòd tempore Johannis, Apostoli & primitiva Ecclesia, usi adhuc fuerint Kalendario Hebræorum. *Julianos* verò *Annos* commendat, quòd 1. quantitate cum Annis Judaicis, quibus usi sunt Apostoli, & primitiva Ecclesia, conveniant: 2. quia per tot secula ab Ecclesiâ recepti sunt; solet autem Spiritus S. se in ejusmodi rebus politicis communi usui accommodare, unde *hos Annos etiam in Computo meo retinui,* & ipsas in Apocalypsi semper intendi, præsertim in talibus prædictionibus, quæ Ecclesiam hisce annis utentem concernunt, credo; sic statuens, Calculum nostrum non multum posse fallere, etiamsi, quod tamen non puto, Nabonassarei Anni ubique in hoc Vaticinio exhiberentur; quia Periodi satis amplæ sunt quantitatis, neque actus prædicti in eas incidentes, illicò ab initio datarum Periodorum incipiunt, sed sæpè in medio; ut in tantâ latitudine temporis ad rem ipsam parum incommodi adferat, si vel annis pauculis aberremus, putà in uno Tubicinio non ultra quinquennium, quod ad annos 343. in comparatione perexiguum est. In hunc saltèm finem hæc adducta sunt, ut appareat, etiamsi statuerem hanc Periodum plenam & integram, ad ultimam horam usque impleri debere, tamen de Annis pené 36. esse dubitandum; vel ad minimum de biennio, aut triennio.

Quid? quòd major adhuc incertitudo futuris temporibus metuenda sit: quia *Testes Jesu* internecionem quasi passuri sunt, omnisque Literatura pessum ibit, meraque Barbaries Mundo obveniet, simulque *Æra Christiana* ab Antichristo Orientali, juxta prædictionem *Danielis*, cum Lege mutabitur & abolebitur; in tantâ confusi- *Dan. VII v. 25.*

one rerum humanarum facilis erit lapsus Computationis; etiam post restitutam lucem, & resurrectionem Testium Jesu.

Respondeo *quarto*: apparere ex Evangelistâ *Marco Cap.* XIII. *v.* 32. Dictum objectum Christi, hisce voculis: *Hoc tempore*, esse limitandum: nemo enim γνησίως Lutheranus concedet, Christum etiam jam, post exaltationem factam, ignorare diem extremi judicii: ut sic liqueat, esse *Dictum Temporarium*, quemadmodum illud *Matth.* X. *v.* 5. *In viam gentium nè abieritis, & in Civitates Samaritanorum ne intraveritis*: quòd dictum deinde per aliud mandatum abrogatum est: *Euntes docete Omnes gentes, Matth.* XXVIII. *v.* 19. Poterit ergò & hîc locum habere illud *Augustini*: *Distingue Tempora, & concordabit Scriptura.* *Regeres*; Dictum hoc non esse abrogatum, & esse saltem temporarium, quoad humanam Christi Naturam, quo respectu meritò sit limitandum, non itidem respectu Angelorum & Hominum; ubi adhuc vigorem suum obtineat. *Respondeo*: infregi Ego vim dicti allatâ instantiâ de Filio Hominis, cui dictum negat notitiam Extremi diei; aliæ Scripturæ verò Omniscientiam tribuunt, & ideò etiam hujus Diei notitiam, quod nemo, nisi hæreticus, negaverit. Incumbit ergò Tibi, Lector, probare, illud respectu Angelorum & Hominũ adhuc esse validum: videtur enim quodammodò absurdum, unicum Dictum esse temporarium & perpetuum simul.

Sed sublevabo Te hoc onere probationis, *Lector*, dum ingenuè ostendam, quæ sit mea de hoc Dicto sententia: Si enim intelligendum est secundùm literam, prout verba jacent, *de Die & Horâ* extremi Judicii, facilis concedo, respectu & Hominum & Angelorum adhuc vigorem suum obtinere; quia Dies ille, & hora ultima, nullibi, quod sciam, in Sacris Literis sunt revelata, sed in omnisciéntiâ divinâ solùm posita. Si autem per *diem & horam* latior Terminus, puta Annus unus & alter, intelligitur, etiam concedere possum, & Angelos & Homines annum certum ignorare: Homines quidem etiam ob incertitudinem Chronologiæ; Angeli verò, qui verum quidem Nativitatis Christi Annum, ut & tempus Ministerii satis noverunt, propter aliam causam, quæ & Homines dubitare sinit; nimirum propterea, quia in divino arbitrio situm est, an tota Periodus, quoad omnia momenta, plenè sit adimplenda; an verò

de

de ultimis *Quadraginta* annis aliquot ſint decurtandi? Non enim dicit Angelus; *poſt completum Tubicinium ſeptimum implebitur Myſterium Dei*: ſed: IN DIEBUS SEPTIMI TUBICINII. Cùm ergò accuratior determinatio lateat & Angelos & Homines, *Ipſis quadraginta annis*, quod & *ſuprà* aſſerui; Judicii extremi dies in ambiguo manet. Sin verò Dictum hoc, de latisſimo termino, putà uno vel altero Seculo, loqui ſtatuat; dico illud penitùs eſſe abrogatum, non tantùm quoad Filium Hominis, ſed etiam quoad reliquos Homines & Angelos. *Apoc. X. v. 7.*

Abrogatio ejus extat *Cap.* V. *Apocalypſ. per totum. Videt ibi Johannes in dextrâ ſedentis ſuper Thronum Librum ſcriptum intus & foris ſignatum ſigillis ſeptem; audit & videt etiam Angelum fortem prædicare voce magnâ: Quis eſt dignus aperire Librum, & ſolvere ſignacula ejus? advertit etiam, neminem potuiſſe neq; in cœlo neq; in terrâ, neq; ſubtus terrã aperire Librum, neq; inſpicere illum: proinde refert, ſe multum fleviſſe, quòd nemo dignus inventus ſit, qui aperiret Librum, & legeret, nec qui eum inſpiceret. Unus tamen ex Senioribus flere ipſum vetat, ſimulq; indicat, quod Leo ex tribu Juda de ſtirpe Davidis vicerit, & dignus inventus ſit, qui aperiat Librum, & ſolvat ſeptem ejus Sigilla. Videt etiam deinde Johannes Agnum ſtantem tanquam mactatum, qui vivit & accepit Librum ex dextrâ ejus, qui Throno inſidet; ubi, Libro accepto, inſignis δοξολογία à viginti quatuor Senioribus, & quatuor Animalibus, omniq; Creaturâ in cœlo & in terrâ, ſedenti in Throno, & Agno exhibetur.*

Actum hìc inſignem in Eccleſiâ peragendum nobis repræſentari, facilè concedent illi, qui obſervant, *Apocalypſin nihil aliud eſſe, quàm Hiſtoriam Eccleſiaſticam ænigmaticè deſcriptam.*

Doleo autem, Interpretationibus variis id effectum eſſe, ut prolixâ & operosâ ſemper opus ſit probatione, contrariarumque ſententiarum refutatione, ſi aliquam Viſionem explanare voluerimus; cùm aliàs Sententia vera paucisſimis, ſi absque his foret, proferri poſſet: id quod etiam huic Viſioni contigit. Controvertitur enim adhuc, quid per *Librum Signatum* intelligatur? Hinc priusquam progredi poſſim, hoc ipſum eſt expediendum, quò noſtra ſententia validiori ſtet talo. Præcedenti autem Capite aſſerui, *per Librum ſignatum Scripturas Veteris Teſtamenti, Novis non prorſus exclusis* *Liber Signatus Apoc. V. quid notet: contra Riberam.*

clusis, nobis sisti; ibidemque promisi, me hanc Sententiam à *Riberæ Objectionibus* vindicaturum, qui utique hanc magno cothurno infestat. Non igitur gravabitur Lector, & *Riberæ* Objectiones, & meas ad illas Responsiones, patienter expendere.

Sic autem scribit *ille*, ita referente *Dorscheo*, *Differt. prælimin. in vindiciis ad Exodum*: *Ego*, inquit, *non video quomodo historicè Liber, de quo loquitur Johannes, sit Sacra Scriptura: quoniam signatus erat Sigillis septem, & quid Sigillis contineretur, ipse exponit Cap.* VI. *&* X. *quæ in Sacram Scripturam convenire non poterunt. Deinde hæc Visio, ut ex sequentibus manifestè intelligitur, præsertim ex ultimis verbis Cap.* VI. *ad tempora Judicio proxima, & quodammodo etiam ad* Judicium *pertinent. Certè quæ in Libro erant, de ultimis temporibus sunt, ut videmus Cap.* X. *& seqq. quomodo autem dici potest, Sacram Scripturam, usq; ad tempora judicio proxima, nunquam fuisse apertam?* Nam *si ita est, Doctoribus Ecclesiæ aperta non est, nec ipsis Apostolis, quod impium est; cùm optimè eam intellexerint per adventum Spiritûs S. & veram ejus intelligentiam Ecclesiæ tradiderunt.*

Imò & antequam veniret Spiritus Sanctus in die Pentecostes, Christus aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas, sicut legimus Lucæ ult. Respondebunt: Scripturam clausam fuisse ante adventum Christi, sed eum in adventu suo aperuisse. At videant, non esse hanc Visionem de eo tempore, quo Johannes eam vidit, sed de extremis temporibus, quare sequetur, non usq; ad illa intelligendam Scripturam. Quòd si adhuc urgeant, Sigilla aperta fuisse Johanni, cùm hæc vidit, eumque Librum apertum accepisse, idem sequetur, quod priùs colligebamus, saltem usq; ad hanc revelationem Librum fuisse clausum, & signatum Sigillis septem. Ab hoc tempore jam omnes Apostoli decesserant, id est, extremis annis Domitiani. Semper ergò Scriptura clausa fuit Petro, Paulo, & reliquis Apostolis. Hæc *Franciscus Ribera.*

Quæ speciosè satis prolata, me tamen haud permovent, quò minus credam, Scripturam Veteris Testamenti, per hunc Librum signatum intelligi.

Primò enim ταῖν ἀμφοῖν accepto, quòd ipse *Ribera* aliique Interpretes magni nominis, per hunc librum, ipsam *Apocalypsin* intelligant; hoc enim dato, facilè obtinebo, totam S. Scripturam per

istum

iſtum notari. Mutuatur enim Apocalypſis cùm res, tùm phraſes, potiſſimùm ex Veteris Teſtamenti ſcripturis, Novis non prorſùs excluſis. Quicunque igitur Viſiones Apocalypticas non intelligit, is neque intelligit ea loca Prophetarum, ex quibus illa Apocalypſis deſumſit: & qui neſcit, quid ſibi velint *ſeptem aurea Candelabra Apocalypſeos*; is neq; intelliget, quid Moſes *Candelabro aureo ſeptem lampadibus coruſco*, in tabernaculo Teſtimonii poſito, adumbrare voluerit: qui ignorat, quid *ſeptem Oculi in Agno* notent; is *ſeptem Oculos apud Zachariam Prophetã* nunquã explicabit. Et ſic omnes Viſiones Apocalypticæ, Prophetias ſparſim in Sacris Literis contentas reſpiciunt, easque dexterrimo ordine repetunt. Hinc, quod ſupra dixi, nunc denuò repeto, & affirmo, *absq; Apocalypſi, nunquam iſta Vaticinia, etiam poſt completionem, plenariè intelligeremus.* Unde, ſi datur per hunc librum clauſum Apocalypſin indigitari, eo ipſo de Scripturâ Veteris Teſtamenti, quinimò de totâ S. Scripturâ ſubſumere poterimus: cûm Apocalypſis non modò Pars Scripturæ ſit, ſed penè univerſam Scripturam Sacram compendiosè breviſſimis repetat & illuſtret.

Neque *ſecundò* hîc quidquam incommodi metuendum, quaſi Scriptura, in rebus ad Salutem neceſſariis, (quod volunt Pontificii) ſit obſcura. Quia obſignata dicitur Scriptura, non propterea, quaſi in rebus fidei nullo modo poſſit intelligi; ſed propter figuras, vaticinia, & myſteria, quæ exactè & plenâ luce cognoſci nequeunt, niſi vel impleta, & eventibus comprobata, vel ſingulari Spiritûs Sancti munere clarioribus verbis (quod in Apocalypſi factum) explicata. Quod ipſum noſtra Apocalypſis ſub hoc velamine docet, dum Liber obſignatus ſcriptus fuit ἔσωθεν καὶ ὄπισθεν, *intus & à tergo*: videlicet ita, ut quædam ab omnibus, ſi modo legere noſſent, legi poſſent, quædam verò omnibus obſignata manerent, donec tandem ultimis temporibus Liber totus apertus ad legendum porrigeretur.

Neque *tertiò Objectio de Apoſtolis* quicquam valet: quia cùm Apoſtoli intelligerent Scripturam, tùm jam primum Sigillum erat apertum, ſeu, ut rectius loquar, eo ipſo aperiebatur. Incipit enim iſta Apertio cum viſibili Effuſione Spiritûs Sancti ſuper Apoſtolos in die Pentecoſtes: Et hoc ipſo Sigillo, Omnia, quæ de Jeſu Nazareni tum Perſonâ, tum Officio, ejusque in Eccleſiam beneficio cre-

di oportebat, adeoque *tota Evangelii Doctrina*, secundùm *B. Pauli* effatum, *æternis temporibus tacita*, patefacta sunt. Ante verò illud tempus Scripturæ Propheticæ, etiam ipsis Apostolis cum Christo conversantibus Liber erant obsignatus, utpote de quibus ipse Spiritus S. affirmat, eos nec clarissimas & perspicuas Christi Conciones intellexisse. Quod verò informationem illam die Paschatos, & posteà factam concernit, præludium dicere poterimus Sigilli jamjam aperiendi. Nec sequitur: Christus ipsis Scripturas explicavit; Ergò Apostoli eas plenè, & quoad omnia contenta, tum temporis intellexerunt. Certè ipse Salvator eos Spiritus S. gratiam, quam Promissionem Patris indigitat, expectare jubet, quò ad Apostolatum aptiores & magis habiles redderentur. *Cùm autem venerit ille Spiritus Veritatis*, inquit *Christus, Joh.* XVI. *v.* 13. *& 14. docebit vos omnem Veritatem; non enim loquetur à semetipso, sed quæcunque audiet, loquetur, & quæ ventura sunt, annunciabit vobis. Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annunciabit vobis. Omnia quæcunque habet Pater mea sunt: propterea dixi, quia de meo accipiet, & annunciabit vobis.* Neque post datum & acceptũ Spiritum S. illicò omnia, quæ prædicta erant, capere poterant, sed aliquâ morâ opus habebant, & successivè proficiebant. Quod satis claret, si ea, quæ in *Actis, Cap.* X. *&* XI. habentur, consideraverimus.

Nec est quod *quartò* objiciat *Ribera*, Librum septem signaculis adhuc clausum B. Johannem videre; quia Apocalypsis non solùm futura, sed etiam tempore Johannis præsentia figurat: quod ex Angelo cum thuribulo, qui Ministerium Christi in his terris peractum repræsentat, uti *supra* probatum, satis patet; &, cùm scribere jubetur Apostolus, mandatum sic habet: *Scribe ergò quæ Vidisti, & quæ sunt, & quæ oportet fieri posthac. Apoc.* I. *v* 19.

Nihil etiam *quintò*, absurdi emerserit, si diceremus, quædam in hoc Libro Scripturæ ab ipsis Apostolis, etiam postSigillum primum apertum, non fuisse intellecta. Scientia siquidem Apostolica, ut & Prophetica, utut fuerit magna & infallibilis, non tamen fuit illimitata; sed certis suis cancellis circumsepta. Ea nimirum, quæ tunc nosse Ecclesiæ commodum & necessitas flagitabant, satis dilucidè noverant: de iis verò, quæ ultimis temporibus erant reservanda, vel non cogitârunt unquam, vel, si cogitassent etiam, audissent:

Ve-

Vestrum non est nosse tempora & opportunitates, quæ Pater in suâ autoritate posuit (suo tempore scilicet revelanda) *Actor.* I. *v.* 7. *Danielis* sanè *Vaticinium* ultimis demum temporibus erat revelandum & quidem non unius, sed multorum operâ: ejus itaque explicatio nulli Apostolorum debebatur; sed Doctoribus Apostolis sequioribus. Hinc credo, nec ipsum *Johannem Apostolum & Evangelistam* hoc suum Scriptum & Vaticinium plenariè intellexisse, utpotè cujus expositio, uti in progressu docebitur, Nostris debebatur temporibus: nisi fortè *septem illæ voces Tonitruorum ab ipso tacendæ*, illi clavem horum ænigmatum suppeditaverint. Quod si statuimus, singulare id fuisset dilecti Discipuli privilegium, non tamen tum temporis propalandum: quemadmodum & *Raptus ille Paulinus* in tertium cœlum, ibique facta revelatio, singulare quidpiam fuit. Nihil ergò Apostolicæ derogatur Autoritati, si quædam Fata Ecclesiæ, in Prophetis descripta, non intellexerint satis; quemadmodum nec ipsis Prophetis, qui propria non assecuti sunt. Non enim sibi, sed Nobis prophetarunt, & *nos in eorum messem devenimus*, *Joh.* IV. *v.* 18.

Sextò denique, falsum est, Apocalypsin solummodò ea continere, quæ temporibus judicio proximis sint eventura: quia Historiam Ecclesiasticam omnium ætatum, a Ministerio Christi ad Judicium usque ultimum, contexit: licèt potissimum ob quintum & sextum Tubicinium sit conscripta.

Nihil ergò obstat, quò minus *per Librum Signatum in Apocalypsi*, intelligamus *Librum Veteris Testamenti*, qui per Novum Testamentum reseratur & aperitur. Competunt enim S. Scripturæ V.T. prædicata omnia huic Libro in Apocalypsi tributa. Nam est 1. Liber scriptus: 2. in manu Dei positus; utpote à quo est profecta, & à quo ita conservatur, ut *Cælum & Terra potius interitura sint, quàm vel jota unum, vel apex unicus de Scripturis*, *Matth.* V. *v.* 18. *Luc.* XVI. *v.* 17. Dicitur 3. Liber signatus, *Esa.* XXIX. *v.* 11. quin ipsis Prophetis & Apostolis ex parte fuit signatus. 4. Legi quædam in ea potuerunt, & intelligi. 5. Est denique Liber apertus, quia per Novum revelatur Testamentum, & *tandem omnes Libri aperientur*, *Apoc.* XX. *v.* 12. 6. Continentur in Scripturâ V.T. ea ipsa, quæ hîc in Apocalypsi per apertionem Sigillorum manifestantur. Concludimus ergò, *per hunc Librum signatum nihil aliud, quàm Scripturam S. V.T. denota-*

ri. Et ὁμοψήφους hîc habeo *Gagnæum* & *Esthium*, quorum ille ad hunc locum sic annotat: *Hunc Librum penè omnes interpretantur Sacram Scripturam: Ego Vetus Testamentum, quodunius Libri nomine vocatur, quia, uno Spiritu Dei inspirante scriptum est: scriptus est autem & foris & intus, quia & externum sensum habet, literalem scilicet, & internum spiritualem de Christo.* Hæc ille.

De hoc *Libro signato Angelus quidam fortis* concionatur: *neminem neq; in cœlo, neq; in terrâ posse illum aperire, neq; introspicere in illum.* Per hunc *Angelum*, sive, stylo Apocalypseos usitato, intelligas benè longum Tempus, (unde *fortis* dicitur); sive certam Periodum Ecclesiæ; sive ipsum Christum, ut nonnulli volunt, nihil sententiæ decedet; index tamen digitus intenditur ad hoc Dictũ Christi *Matth.* XXIV. & *Marc.* XIII. *Tale enim quidpiam per apertionem septem Sigillorum manifestatur, quale ante Agnum mactatum, nemo nec in cœlo, nec in terrâ, nec subtus terrã scire potuit, & tamen in Libro erat consignatum & scriptũ:* & tale quidpiam in Apocalypsi revelatum est, quale Agnus ipse, ante victoriam suam, nosse haud debebat, vel voluit. Quale autem illud fuisse putas? certè nihil aliud, quàm *Dies & Hora extremi Judicii*, in latiori sensu, seu ut *Paulus* loquitur; πρόθεσις τῶν αἰωνίων, *imperiis & potestatibus, quæ in cœlis sunt, manifestanda, Ephes.* III. *v.* 10. sive *Series & ordo fatorum Ecclesiæ, sibi invicem succedentium, cum certâ determinatione temporis, quo unum quodq; fieri debebat.* Hoc ipsum enim in Veteri Testamento, uti *Capite præcedenti* ostendi, ænigmaticè erat adumbratum; sed tantâ obscuritate laborabat, ut ne Angelicâ quidem Sapientiâ potuisset penetrari; nisi nova in Apocalypsi accessisset revelatio, & præsertim Juramentum illud Angeli, de quo fusè *suprà* dictum est.

Fata quidem Ecclesiæ satis clarè multis in locis describebantur; sed de Ordine & Tempore erat dubitandum. Cùm enim sparsim in Prophetis absque certâ determinatione temporis reperirentur, ambiguum fuit, an de implendis, an verò de impletis sermo esset. Et si etiam nonnunquam, quod non rarò factum, Numerus index temporis, appositus esset; tamen in dubio remansit, num post illam periodum impletam aliquod Tempus restaret, nec ne; uti ex *Dan.* XII. *Cap.* patet. Et omnia valdè obscura fuerunt; nec liquidò *Termini à quo*, & *ad quem* datarum Periodorum cognosci potuerunt:

quæ omnia *Apocalypsis* in aptissimum Ordinem redigit, ut falli haud queamus. De serie & ordine fatorum Ecclesiæ, præsertim ultimis temporibus ingruentium, pauca quidem, sed egregia Salvator noster protulit *Matth.* XXIV. nihil tamen de temporis determinatione addidit: Ut mirari liceat profundissimam Messiæ exinanitionem, quòd etiam quædam in Mose & Prophetis annotata, in diebus Carnis suæ *scire noluerit*, (*noluerit* inquam, quia scire potuisset, si voluisset; sed *exinanivit se Ipsum*:) quemadmodum apertè pronunciatur: *Neminem nec in cœlo, nec in terrâ* introspicere potuisse, donec tandem Senior unus de Victoriâ Agni Johannem certiorem facit, docetque illius officium esse, ut *aperiat* Librum, & ita quidem, non ut demum post eventum pateant fata, hoc enim vix quicquam Ecclesiam juvaret; nec etiam quidpiam singulare, & Agno dignum contineret, quia etiam absque revelatione tum patefieri potuisset; sed ut, interpretatione additâ, mitterentur Ecclesiis, *Apocal.* I. *v.* 2. & de iis in Ecclesiis Angelus missus testificaretur, *Cap.* XXII. *v.* 16. putà priusquam complerentur. *Quotus* autem sit hic *Senior*, non dicitur; facile tamen cognoscitur: quia ratione Scriptionis & revelationis *Primus* est; Johanni enim primo adhuc Seculo hæc facta est revelatio; ratione verò Expositionis; quia jam demum, quid sibi eâ visione voluerit Spiritus S. cognoscitur, *decimus septimus* non absurde intelligitur.

Cùm itaque certa determinatio Temporis fatorum Ecclesiæ, inter quæ & ultimum Judicium est numerandum, quod ad septimum Tubicinium restringitur, ab Agno revelata, in Ecclesiis est prædicanda: manifestò patet, Dictum objectum, si per illud latior terminus *die & horâ* notatur, hac ipsâ Visione abrogari. In hunc enim diem usque, semper contenti fuimus vagâ & conjecturali expositione Vaticiniorum, & proinde nihil certi exinde elicere potuimus; quia semper, metuentes ne contra hoc ipsum Dictum Salvatoris impingeremus, ab omni determinatione Temporis, absque quâ tamen, omnis in vanum recidit interpretandi conatus, abstinuimus: Nunc verò cùm Dei beneficio certa constituta est Periodus, facilior & certior erit explicatio.

Et hæc ad objectum Dictum Christi, Matth. XXIV. *& Marc.* XIII. responsa sunto, quæ paulò fusius fuerunt tractanda, quia nihil frequen-

quentius, quàm hoc ipsum Dictum, immeritò tamen, objicitur.

Respons. ad Objectionem sextam. contra superbiam.

VI. Jam ad *Sextam* venio *Objectionem*, *Superbiam* nimirum sapere, id velle scire, quod ipsum Christum in diebus Carnis suæ latuerit. Hîc pro me respondeat ipse Christus in Apocalypsi, *Cap.* XXII. *v.16. Ego Jesus misi Angelum meum, ut hæc vobis testificaretur in Ecclesiis.* Hic nisi revelasset, Ego nescirem: huic igitur soli debetur Laus & Gloria; ego nullam ambio, nisi ut audiam minimus & indignus Minister Jesu mei. *Dignus es Domine accipere Librum, & aperire Signacula eius: quoniam occisus es, & redemisti nos Deo in Sanguine tuo, &c.* canunt viginti quatuor Seniores, *Cap.* V. *v. 9.* quibus omnis Creatura accinit: *Sedenti in Throno, & Agno, Benedictio, & honor & gloria, & potestas in secula seculorum, v.13. eiusd. Cap.* Huic Agno cùm placuerit, Me, tam vili instrumento, in tam arduo negotio uti, quis Tu es, qui illum reprehendere ausis?

Resp. ad septimam Objectionem, contra Impietatem & Securitatem inde prognatam.

VII. *Septimo*: non admodùm sollicitus sum, an aliquis Empæcta hac data Periodo abutatur ad Impieratem, quia & hoc metu Salvator meus me liberavit, *Cap.* XXII. *v.* 10. & 11. *Ne obsignes verba Prophetiæ Libri huius, Tempus enim propè est; qui nocet, noceat adhuc; & qui sordidus est, sordescat adhuc; & qui iustus est, iustificetur adhuc; & sanctus sanctificetur adhuc.* Ex quibus verbis patet, nullam hîc habendam esse rationem impiorum, cùm Revelatio hæc potiùs justos & sanctos in pietate suâ sit confirmatura; utut Impii eam rideant, vel eâ ad perniciem suam abutantur. Addo, quòd qui datam Periodum accusant, quasi *Securitatem* apta sit gignere, non vident, se ipsi Spiritui S. dicam scribere. Is utique expressis verbis aliquoties affirmat, Draconem per *mille annos* fore ligatum: an itaque prioribus Seculis, cùm satis constaret, hos mille annos nondum fuisse impletos, sed ad illos adimplendos multum restare temporis securos reddere voluit homines Spiritus Sanctus? Non puto! & tamen non veritus est expressis verbis eam periodum asserere & patefacere! An & illâ assertione, septimo demùm Tubicinio instare diem Domini securitatem svadere voluit hominibus sex priorum Tubiciniorum? Anne & *B. Paulus* carnaliter securos esse voluit *Thessalonicenses, cùm negaret, tum temporis instare Diem Domini?* An denique ipse *Christus*, cùm *Matth.* XXIV. de Signis extremum diem præcedentibus dissereret, expresè affirmavit: *Oportet hæc fieri, sed nondum est finis*: securos

curos reddere voluit illos, qui liquidò ſcire poterant, eaSigna nondum contigiſſe? *Terrent* equidem & Prophetæ, & Chriſtus, & Apoſtoli, auditores ſuos adventu extremi diei; non autem tàm ratione *incertitudinis* iſtius adventus, quàm ratione *certitudinis*: quia omnibus omninò hominibus coram illo judicio erit comparendum, in quocunque vixerint tempore. Quòd autem dicitur illos ignoraturos Horam & diem adventûs judicii, ſi de latiori termino intelligitur, de ignoratione non abſolutè neceſſariâ, ſed malitiosè acquiſitâ, eſt accipiendum: quod ex *Matth.*XXIV. patet, ubi de Antediluvianis, qui ſcire potuiſſent ultimum Annum, poſt quem venturum erat Diluvium, affirmatur, eos ſecurè vitam transegiſſe ad extremam usque horam; & iſtis comparantur Homines ultimo tempore viventes. Cui & altera Cauſa adjungi poteſt, quòd incertum ſit, quâ horâ, quove momento quivis ad illud ipſum judicium per mortem ſit citandus; ubi facilè fieri poteſt, (quin quotidiè fit) ut multi hoc judicio inopinantes obruantur. Accedit tertiò; quòd Judicio illi extremo plerumque & Chriſtus & Prophetæ, particularia judicia pænarum, ſubitò ingruentium, indivulſo nexu conjungant, & fideliter moneant, ut caveamus, ne ab ejusmodi die malo inopinatò obruamur: quod ex dicto *Luc.*XXI.*v.*34. *&* 36. videre eſt; nam *v.*34. *&* 35. cavere jubet Salvator à crapulâ & ebrietate, & curis hujus Vitæ, ne repentè ſuperveniat *dies ille, qui ut laqueus omnes habitatores terræ invaſurus ſit.* Per hunc autem *Diem* non ſolummodò diem iſtum Extremum pantocriticum à Salvatore notari; ſed etiam diem anguſtiæ & pœnarum; nempè anguſtiam gentium in conſilii inopiâ, ex *v.*25. Exanimationem hominum præ timore & expectatione malorum, invadentium Orbem terrarum, ex *v.*26. hîc intelligi debere ſatis liquet ex *v.*36. ubi orare jubet Chriſtus, ut *digni habeamur, qui effugiamus* ISTA OMNIA, *quæ futura ſunt, & conſiſtamus coram Filio hominis.* Ubi notanter particulare judicium pœnarum ultimo illi Judicio immediatè conjungitur: nec etiam ſine causâ; quia ingens illa anguſtia, de quâ eò loci Salvator agit, proximè anteceſſura eſt diem illum pantocriticum. Lucem hæc accipere poſſunt, ſi conferamus *Apocal.Cap.*III.*v.*3. *&* 10. Itemque querimoniam Regum & divitum, *Apocal.*VI.*v.*16. *&* 17. *Cadite*

O *mon-*

montes super nos, & abscondite nos à facie sedentis super thronum, & ab irâ Agni, quoniam venit DIES MAGNUS *iræ Ipsorum* (sic habet Vulgata, sed Fontes: ἡ ἡμέρα ἡ μεγάλη τῆς ὀργῆς αὐτοῦ, iræ ipsius) *& quis poterit* STARE. Non autem agitur hoc loco de ultimo Judicio, quia illud demum septimo tubicinio venturum est, ut *suprà* probatum: sed de calamitate illâ magnâ. Conferri etiam possunt *Caput Sophoniæ* I. & II. ubi itidem per DIEM DOMINI non extremum Judicium, sed gravissima pœna notatur.

Non itaq; video, quid causæ habeant Impii securè in crapulâ & curis hujus vitæ, quin etiam in sceleribus vitam transigendi, etiamsi certò sciant, suo tempore nō venturū esse diem ultimū: cum certi esse nequeant, de repentinâ et subitaneâ invasione pœnæ promeritæ, simulq; obitûs sui, qui quidē ipsos maximè latet. Et etiamsi cuipiā ex peculiari gratiâ, velut Hiskiæ factum, dies aut annus obitûs sui certò innotuisset, an propterea vitā reliquā, usq; ad extremas fæces, diabolo consecrare vellet? Sed stulti sumus, quòd impiorum causâ sic timemus! Tantum enim abest, ut his revelationibus ad impietatem concitentur, ut potiùs nunquam de iis sint solliciti, aut seriò cogitent; utpote qui jamdudum et Deum, et providentiam, et finem mundi, et cœlū, et infernum esse credere dedidicerunt. Et cùm Theologos, cum judicio extremo minitantes falsè soleant irridere; fortè divina sapientia, quò reddantur ἀναπολόγητοι, hisce ultimis temporibus etiam Seriem Annorum adhuc restantium, Ipsis patefacere voluit; quemadmodùm Mundo antediluviano (*centum illos et viginti Annos* per *Noham*, ut per omnia, tempora ultima cum temporibus Nohæ conveniant, quòque commoneantur, et Deum, et Providentiam esse; nec fabulam narrari, cùm de Inferno, et fine Mundi agitur.

Resp. ad Octavam Object. & explicatur Dictum Matth. XXIV. v. 22 de decurtatione dierum.

VIII. Accedo ad *Octavam Obiectionem*; quæ *dies decurtandos esse, propter Electos,* monet. Hoc qui objiciunt, nesciunt, quid objiciant: Si enim Dictum illud *Matth. XXIV. v.* 22. in eo sensu, quo illi volunt, acciperem, potiùs meam Periodum confirmaret, quam infirmaret. Terminus enim dierum, qui decurtandus est, prius constitutus esse oportet priusquam de decurtatione agatur: Omne enim decurtandum prius esse debet; cùm non-entis nullæ sint affectiones. Illa autem Termini constitutio, aut est revelata, aut non: si non revelata est, tum solummodò facta est in mente divinâ, ita ut et decurtatio

tio illa in mente divinâ contingat: sed hoc absurdum est, quia Deum faceret mutabilem, cum hic nullus ad homines haberetur respectus, nèque mutatio ab interveniente humano arbitrio aut actione suspendatur. Relinqvitur ergò, ut sit revelata illa Termini constitutio: id ipsum non alibi, quàm in Scripturâ S. fieri potuit. Hoc si est, non impium, nec inutile erit, illius termini constitutionem indagare, quò de decurtatione etiam certi esse possimus. Ostendas autem mihi aliam, si mea haud placet, Periodum in S. Scripturis revelatam, quod utiquè nunquam liquidò facere poteris.

Vides ergò, Lector, quàm imbellis miles hoc ipso dicto, contra datam et erutam Periodum Tubiciniorum adducatur; utpoté qui non modò non feriat, sed et strenuè, feriendo juvet.

Sed respondeo *secundo*: Illius dicti longè alium esse sensum nempe hunc: *tantam futuram vim persecutionis, & imposturarum, ut, si vel paululum adhuc, eo tempore, hæc perduraret angustia, seducerentur Omnes Electi, & sic tota periret Ecclesia; proinde Deum, propter Ecclesiam, rem ita moderaturum, ut malis istis finis imponatur: quod notanter Textus exprimit:* καὶ εἰ μὴ ἐκολοβώθησαν αἱ ἡμέραι ἐκεῖναι, οὐκ ἂν ἐσώθη πᾶσα σάρξ· διὰ δὲ τοὺς ἐκλεκτοὺς κολοβωθήσονται αἱ ἡμέραι ἐκεῖναι. *Et nisi abbreviati fuissent dies ILLI, periret omnis Caro: sed propter Electos breviabuntur dies ILLI.* QVALES autem *Dies?* Illi, de quibus præcedenti *v.21. Matth. XXIV.* dixerat: *Erit tunc oppressio magna, qualis non fuit à Principio Mundi ad hoc usquè tempus, neque erit.* Hi sunt Dies illi occisionis *duorum Testium Iesu*, ita ut saltem eorum cadavera superfutura sint de quibus sub *sextâ Ætate*, in quam illa oppressio, de quâ hîc Christus loquitur, incidit, σὺν θεῷ prolixè agam.

Interim non nego, illi Oppressioni suum constitutum esse Terminum, quem etiam suo loco patefaciam. Hinc *Marcus* eandem sententiam *Cap* XIII. *v.20.* in *tempore præterito* effert: *Nisi Dominus contraxisset; & contraxit dies illos.* Nec hoc nego, Terminũ istum propter Electorum gemitus & preces posse decurtari, si non maturiori Evangelicæ lucis restauratione, tamen aliqvali oppressionis mitigatione, aut aliqvo allato solatiolo. & si non per universum Orbem, tamen in hoc vel illo loco. Quemadmodùm ad Crucifixionem & sepultu-

pulturam Christi tres integri dies constituti erant, uti sæpè Salvator monet, & tamen vix biduum in Sepulchro egit Christus; sic Sepulturæ Testium Jesu destinati sunt *tres Dies mystici, cum dimidio*; qui tamen etiam suo modo, ut proprio loco ostendam, decurtari poterunt. Ut ita hæc Objectio me minimè feriat.

Resp. ad 9. Object. I. Joh. II. v. 18.

IX. Sed jam *Johannis tempore fuit ultima Hora*, nedum post tot effluxa Secula? Hæc Objectio non meretur Responsionē! quis enim hoc unquam negavit? Comparat Johannes omne Mundi Tempus unicæ Diei, & loquitur comparatè, nempè jam maximam partem istius diei esse effluxam, restare solummodò Vesperam, quam *ultimam Horam* vocat: Diluculum enim cum summo mane præterierat ante Diluvium; Meridiem habebant Judæi; Nos verò Christiani Vesperam: unde & Evangelii prædicatio *Cœna* magnæ à Christo comparatur. Et quid quæso volunt sibi hac Objectione? si enim ultima illa Hora potuit continere mille & fermè septingentos annos; quid impedit, quò minùs adhuc alii septingenti possint addi?

Resp. ad. 10. Object. Omnia jam esse impleta.

X. Venio ad *Decimam Objectionem*, quæ asserit, probabile esse, instare jam diem illum ultimum; quia jam *Omnia sint impleta, quæ olim prædicta sunt à Prophetis*. Resp. Qui affirmat, Omnia jam esse impleta, quæ prædicta sunt, is idipsum probare tenetur & ostendere, quomodo, & quando impleta sint: alias nuda tantum est assertio, cui æquali facilitate negativa potest opponi: uti & *strenuè pernego, Omnia Vaticinia iam esse impleta.*

Ne autem gratis contradixisse videar, age, *Lector*, ad oculum Tibi monstrabo, Multa adhuc restare adimplenda: *hoc modo*: Testibus Jesu ad prophetandum destinatur Periodus 1260 Dierum: (*Angelicos* hîc nobis sisti *dies*, i.e. totidem *Annos*, monent actus illis diebus expediendi.) Et hæc Periodus absolvenda est, priusquam internecionem à Bestiâ ex abysso ascendente patiantur, *Apoc. XI. Cap.* Quæritur jam *de Termino à quo istorum Annorum? Ante Draconem* de Cœlo dejectum non incipere, satis claret, & apud omnes in confesso est. Multi igitur ex eruditis Principium istorum Annorum *ad Constantini Magni tempora* referunt; quia tùm temporis *Draco Ethnicus* de Cœlo deturbabatur. Hanc Epocham si acceptamus, *initium* horum Annorum ponendum erit *in annum Æræ Christianæ Trecentesimum & duodecimum*; quo anno Constantinus & Licinius edictum de

Libertate Religionis promulgarunt; ut Christianismum liberè profiteri, Christianis etiam Templa habere, & conventus agere liceret: Necessariò ergò *finis* hujus Periodi incidet *in Annum Æræ Christianæ Millesimum quingentesimum septuagesimum secundum.* Est quidem Annus ille *satis notabilis Lanienâ Parisiensi*, quam Carolus IX Rex Galliæ in Reformatos exercuit, & in quâ paucis diebus *septuaginta Millia*: ut ipse Rex ad Pontificem Romanum gloriatur, occubuerunt. Si tamen perpendimus, quòd tum, si rectè fuisset constitutus Terminus, & eo tempore finita Periodus fuisset, Internecio Testium Jesu, & id *non in uno loco*, aut Regno, sed *per universum Mundum*, subsequi debuerit; ita, ut tales angustiæ & persecutiones *antea nunquam* fuerint; in hunc Terminum consentire non possumus. Qui enim pertinacitèr defendit, istis annis & sequentibus tales fuisse angustias, quæ omnes omnium ætatum oppressiones, & Calamitates, *qualitate & quantitate*, (talia enim periculosa tempora post absolutam periodum 1260 Annorum Spiritus S. expectare jubet) superârit; ita ut etiam periculum fuerit, ne *omnis pessum eat Ecclesia in universo Mundo*; Is dignus est, qui cum Ceritis expietur. Floruit enim isto & sequenti tempore pluribus in locis perbellè Ecclesia; licèt etiam alicubi ab Hostibus satis acritèr infestaretur. Sic enim fieri debuit: *Saccis* enim *induti*: hoc est, inter Calamitates & persecutiones prophetant Testes Jesu. Addo, quòd *tum temporis*, vix quicquam damni à Bestiâ Orientali passa sit Ecclesia; quicquid de hac vel illâ urbe occupatâ fieret; cùm tamen *à parvo Cornu Sanctos vinci & occidi sit in fatis.* Meritò ergò hunc Terminum rejicimus.

312
1260
———
1572

Alii igitur, penitiùs rem contemplantes, hos Annos *ab initio Mahummedismi* numerant: hoc argumento moti, quòd & parvo Cornu, per quod *Mahummedem* intelligunt, totidem anni assignentur; cùm alias absurdum esset, affectionem Entis ante Ens ipsum incipere.

Hanc Epocham, licet & ea nondum accuratè feriat metam, tamen interim ponamus, ut ex concessa disputemus hypothesi. Contigit autem initium Mahumedismi Anno Æræ Christianæ 622. jam addamus numerum 1260. Annorum, & perveniemus ad Annum Æræ Christianæ 1882. Hac elapsa periodo, subsequitur *Prælium Bestiæ cum Sanctis*, graphicè depictum *Apoc.* XVI. *à v.* 12. *ad* 16. *inclusivè*;

622
1260
———
1832

Prælium Bestiæ sequitur *internecio Testium* Jesu, *eod. Cap. verbulo* γέγονε, *Factum est*, indicata; & Cap. XI. *v.7.8.9.* & *10.* expresſè descripta Hanc internecionē excipit *Resurrectio Testium Jesu, sive Restauratio Ecclesiæ*; omniaq; illa fient, quæ *Cap.* XI *à v.* 11. *ad* 14. *usq;* & *Cap.* XVI. *à v.* 17. *ad* 21 late descripta sunt: Et restat tum adhuc Tubiciniū septimū uti expresſè habetur *Cap* XI. *v* 15. Hæc omnia post absolutā demū periodum 1260. Annorū fieri debere, quivis satis cognoscere potest si modò paululùm velit esse attentus. Hi autem Actus tam insignes & universales, benè multū temporis ad complementum suum exposcunt: quia fieri nequit, ut uno possint absolvi Seculo, propter præfixos unicuique actui certos terminos; qui utique etiam in Apocalypsi revelati inveniuntur.

Anni Testium. 1882
ÆraChrist. subtr. 1663
Residuum adhuc complendum. 219

Quâ fronte igitur audes asserere, Omnia jam esse impleta; cùm tamen, etiam ex concesſâ hypothesi, ad complementum 1260. Annorum, hoc Anno Æræ Christianæ 1663. (dum hæc scribo) requirantur adhuc Anni 219. quos deinde, uti jam monstratum, tàm insignes sequuntur Actus. Quid autem, si ostenderem è Textu, uti suo loco faciam, Deo adjuvante, *Terminum à quo* horum Annorum numerari debere 1. ab absorpto per Terram fluvio, ex ore Draconis evomito: 2. à fugâ Ecclesiæ in desertum; 3. ab acceptis alis Aquilinis Ecclesiæ datis; (hos enim Terminos ipsa monstrat Apocalypsis.) amplior annorum Numerus ad absolvendam illam Periodum requiretur. Sed ne hac Computatione nonnulli premantur, audent negare, posse Terminum à quo horum 1260. Annorum liquidò investigari: quibus respondeo, non sufficere nudam negationem, sed etiam addendam esse hujus negationis rationem. Diversum sanè suo loco firmiter ostensurus sum. Hac vice sufficiat Danielis assertum, ultimis temporibus illam periodum iri intellectum, *Dan.* XII *v.* 4. & 9. Quòd si Terminus à quo hujus Periodi non investigari potest, cur itaque à Spiritu S. tàm in *Daniele*, quàm *Apocalypsi* expresſè describitur? cur hæc periodus revelata? fortasſis lusûs & ludibrii gratiâ! scilicet revelatum est, & assertum à Deo, esse revelatum; & tamen ita obscurum, ut nullâ humanâ industria posſit intelligi, etiam mediis legitimis præsuppositis! Annon hoc est Deum facere illusorem? Sed de hoc præjudicio *suprà* fusè egi. Multa certè restant, quæ prædicta sunt, & nondum, *Amice Lector*, VÆ *primum* præteriit, nedum

dum ut reliqua duo, primo longè majora & nocentiora, absolverimus. Caveamus, ne fortè brevi, sat acriter cum primo Væ nobis sit confligandum! Horret animus cùm recogito, qualia & quam tristia fata perpessura sit Ecclesia inposterum! Sed jam non locus est querelarum! Hoc autem habeo, quod rideam; quòd cùm mihi irascaris, quòd Ecclesiæ Periodum Temporum definiam, non advertas, Te idipsum facere. Restringis enim diem ultimum ad nostrum Seculum, dum affirmas, Omnia jam esse impleta, licet nullis inductus id facias rationibus. Sed quoniam Termino vago uteris, non vis videri hoc facere, cùm tamen revera facias!

XI. Pergo ad ultimam Objectionem, quæ *Mei muneris esse negat, ut scribam*: & respondeo: gratâ mente acceptassem si quis Doctior me hoc onere sublevasset, hocque Vaticinium tam clarè explicasset, ut mens veritatis avida, rem penitùs pensitans, nec se tantùm Autoritati scribentium mancipans, tutò acquiescere potuisset. Facilius enim mihi fuisset alterius inventa legere & judicare; quàm aliquid invenire, & scribere. Cùm autem hactenus nullam talem expositionem videre contigerit, cui tutò fidere possem: quis prohibere potuit, aut debuit, ne ipse sedulâ meditatione de Veritate indagandâ essem sollicitus? Eâ verò inventâ, iniquum fuisset, Talentum à Patre Luminum concreditum in terram defodere. Et quis, quæso facultatem scribendi primis Ecclesiæ Patribus dedit? Quis Augustino & Hieronymo calamos acuit? Ast Episcopi, & Presbyteri, *inquis*, illi fuerunt. Sũ & ego! Pietate Eruditione, cæterisq; Ingenii dotibus, istis Luminibus cedo: Officio nequaquam, uti nec fortè Puritate Doctrinæ. Sat Autoritatis tandem mea nanciscetur Scriptio, quando Eventu comprobata, ab Ecclesiâ, quod certè futurum scio, (licet fortè me adhuc vivo id non fiat:) acceptabitur: quanquam Harmonia tot Numerorum & tam congrua tot diversarum Visionum coordinatio, ita ut Visiones invicem se confirment, nostramque periodum non uno modo stabiliant, etiam iniquum Lectorem de Veritate convincere possint. Tentet enim aliquis, & fingat sibi aliquam Periodum, à meâ erutâ alienam, quantam quantam etiam velit, illique applicet Numeros in Apocalypsi notatos cum Prædicatis suis, ita ut & Historia Ecclesiastica concinat, quemadmodum Ego facturus sum, spondeo, si id præstare poterit, Me omnia mea

Resp. ad Object. ult. Autoris non esse scribere.

mea igni esse crematurum. Sed certus sum, id fieri non posse: si vel enim septem illa Tubicinia, cum viginti quatvor Senioribus, harmonicè conjungere quis deberet, ita ut ad numeros habeatur etiam respectus, (quemadmodum Ego conjunxi) credo satis talem esse sudaturum. Ostendi enim ad oculum, & septem Tubicinia, & 24. Seniores, utraque totam N.T. repræsentare Ecclesiam; quare & temporis Periodo exactè convenire debent: ita ut & ratio dari posit, quare illa Periodus tàm per 7. Tubicinia, quàm per 24. Seniores, sit adumbrata. Tenta, obsecro, quid tui valeant humeri in his solis duobus Numeris, ut de reliquis benè multis, qui etiam ita accommodari debent, ne huic Periodo incommodent, sed eam confirment, taceam; & fortè Veritati victas porriges manus. Longè alia est ratio vagæ alicujus Explicationis, & talis quæ se certis limitibus & numeris Annorum includit. Illa ut facilis, ita incerta est: hæc ut majorem requirit diligentiam, ita, si harmonicè consonat, Lectorem certiorem dimittere potest. Hinc autoritati meæ nihil metuo, nihilque diffido, utpotè non ab Hominibus hæc edoctus, sed à solo Deo, licèt non immediatè, sed mediante Verbo. Huic etiam Laus sit & Gloria!

Taceo, quòd Ecclesiæ satis illustri, satisq; publicæ, & per universam Europam, propter Pacificationem Osnabrugensem, notæ, presæ licet, sim præpositus. Et, si superbire vellem, quod tamen procul à me absit, haberem, quod possem ex ipsâ Apocalypsi gloriari! Periodus enim horum Temporum ejusmodi Hominem requirit, quisquis ille futurus sit, qui Librum clausum, *etiam quoad Vaticinia*, resignet, illumque apertum Ecclesiæ porrigat. Sed manum de tabulâ! datus enim & mihi est palus in carne, ne superbiam! Hanc vanitatem tamen propriæ dignitatis excusserunt Mihi nonnulli, falsis suis conviciis, cùm audirent à me adornari Scriptum quodpiam in Apocalypsin: quibus etiam hisce responsum esto.

Objectiones & Retorsiones Autoris.

Patere jam, *Lector*, ut & Tibi aliquid in aurem dicam, quoniam Objectionibus Tuis respondi: cæteris, si quas habes, inposterum etiam occursurus.

Licet horum Vaticiniorum satis intricatorum & abstrusorum Explicatio, peculiare sit Dei Donum, nec cuivis à Patre luminum detur in ejusmodi arcana penetrare: attamen Veritatem erutam, &

& in lucem ab aliis positam, facilè est dignoscere & dijudicare; modò ipsi paululùm, sepositis variis persvasionibus & præjudiciis, attendere ad eam velimus. Hanc igitur, quia illam Tibi hoc in Opusculo ob oculos pono, & Harmonico concentu satis probabilem reddo, si monitus spernere pergis, antiquam semper cantilenam occinendo: *Omnia jam esse impleta, nihilque præter diem pantocriticum restare*; potero Te accusare.

Primò *Temeritatis*: cùm non verearis, etiam in locis sanctis, pro veritate venditare ea, quæ solummodò in tuâ imaginatione, absque ullo solido fundamento, consistunt. De his Vaticiniis enim, quæ nec unquam intellexisti, multò minus quando impleta sint, ostendere potes; neque forsan etiam unquam de genuino eorum sensu sollicitus fuisti, audacter asserere, jam esse impleta, nonne temerarium est? Sed alii, *inquis*, jamdudum id ostenderunt! Unde autem Tu scis, illos non fuisse falsos in suâ expositione; cùm solummodò vagam & conjecturalem dederint, nullis fulcris stabilibus nitentem? Quid, si etiam illi non ostendissent? uti reverà non ostenderunt! Siccine tamen in re tantâ alienis vides oculis, aliorumque lingis sputa, nullo evidenti argumento convictus? Obtestor illos ipsos, qui etiam in ipsam Apocalypsin commentati sunt, an sibimetipsis satisfecerint? ita ut certò certius affirmare queant, suam Explicationem proponere sensum immediatè à Deo revelante intentum, & qui non sit Opinativus, utut Analogiæ Fidei non contrarius; sed per omnia Menti divinæ congruens, (hoc enim requiritur) Credo illos hæsuros, nec idipsum affirmare ausuros! Quomodo igitur ostensum est, Omnia jam esse impleta! Intentio utique Dei revelantis in Apocalypsi est, (quod etiam *suprà Cap.* V. Observ. 1. latè probavi) ostendere & docere Fata futura, *Priusquam eveniant*; & id in cautelam & solatium Ecclesiæ. Adeas jam omnes Interpretes Apocalypseos (nullum excipio), & perpendas, an aliquid futuri ex Apocalypsi eruerint, quod eventu deinde sit comprobatum, vel ita propositum fuerit, ut certò perspici possit, id indubiè esse eventurum? Nonne omnes uno ore clamitant, fermè omnia esse impleta: aut si quid futuri elicere conati sunt; vel fefellerunt, vel tantâ instabilitate & ambiguitate id præstiterunt, ut nihil solidi exinde possit colligi. Ignoscant Mihi, si vivunt: sin mortui jam ipsorum beati Manes, quòd, in

P com-

1.

commodum Ecclesiæ, Veritatem ingenuè & liberè profitear! Sic autem Deus suâ intentione, suoque fine frustratur! Si ergò asseris, Omnia jam esse impleta, indubitatò & infallibiliter id scire debes, si notam Temeritatis effugere cupis. Non enim sufficit, ostendere posse, ALIQUA esse impleta; de OMNIBUS omninò prædictis id fieri debet; quia *nec jota unum, nec apex unus de Scripturâ peribit, donec* OMNIA fiant, *Matth.* V. v. 18. Nec etiam tritum effugium hîc valet: *Apocalypsin demum intellectum iri post complementum, ut & alia Vaticinia prophetica*: Scilicet! unde hoc ipsum probabis? Tui cerebelli figmentum est, intentioni divinæ contrarium; uti *suprà* etiam multis probavi.

2. *Matth.* XXIV. Secundò *Socordiæ* Te convincam: quòd audias à *Christo* prædici, *sub finem mundi tantas calamitates & persecutiones Ecclesiam in universo Mundo pressuras, quales ab initio dierum non fuerint, nec in posterum futuræ sint*: nec tamen advertere cupis, an Tribulationes illæ præterierint, nec ne? Audis à *Spiritu S.* ingeminari: *Qui habet aures audiendi, audiat*: item, *Beatus, qui legit* (i. e. intelligit) *Verba Prophetiæ hujus*: item: *Qui legit, advertat*: nec tamen de horum Vaticiniorum sensu es sollicitus. Videmur, prô dolor! idem facere, quod Apostoli, à Christo in montem Oliveti ad orandum deducti, qui ingruente Passione Salvatoris, ipsoque agonisante, obdormierunt. A somnolentiâ tali an se multi excusare queant, viderint ipsorum Conscientiæ!

Apocalyps. passim.

Matth. c. I. v. 6. & 12. Sed, *regeris*, probabile esse, *præteriisse jam istas Calamitates*; *quia Charitas jam refrixerit, & ubiq; audiantur Bella, & rumores bellorum.* Sic statuere Te oportet, quoniam persuasum habes, præter diem ultimum, nihil superesse, quod impleri debeat: si enim concedis, superesse Tribulationem illam magnam; internecionem Testium Jesu, seu Confessorum, itemque restaurationem Ecclesiæ illâ internecione: necessariò tua, tantoperè animo tuo infixa, concidet hypothesis. Sed ad Objectionem *respondeo*: Bella, & rumores bellorum audita fuisse ab initio mundi, in hunc usque diem: Hoc ergò in loco Salvator *de peculiari genere Bellorum* agit, de quibus Bellis *Daniel, & Ezechiel, & Apocalypsis* nostra, præclarè multa annotarunt; quæ tibi etiam cum Deo, suo loco enucleata daturus sum. Et ut concederem, hæc nostra hodierna Bella, præsertim Turcica, notari; additur

tur tamen à Salvatore eò loci: *Oportet hæc fieri; sed* NONDUM EST FINIS. *Consurget enim gens in gentem, & Regnum in Regnum, & erunt pestilentiæ, & fames & terræ motus per loca.* HÆC AUTEM OMNIA INITIA SUNT DOLORUM. Proinde excutiamus istam somnolentiam, præsertim *hoc tempore*, cùm ante fores expectet *Tribulatio illa Magna*. Nam *ultimi illi Anni*, in Periodo mille ducentorum sexaginta Annorum, *absoluto Millenario, per Annos ducentos & sexaginta*, nil nisi atrocissima Bella, Regnorumque mutationes tristissimas portendunt: quas mutationes tandem absolutâ illâ Periodo insignes comitabuntur Ecclesiæ Oppressiones. Caveamus igitur, ne quis nobis objiciat illud Christi *Matth*. XVI. *v*.13. *Hypocritæ, faciem cœli dijudicare nostis: signa autem temporum non potestis.* *ibid.v.6.7.8.*

3. Tertiò arguere Te potero *Seductionis*, ex loco *Paulino*, II. *Thessal*. II. *v*.1 *ad* 4. *inclus*. *Rogamus autem vos Fratres, per adventum Domini nostri Jesu Christi, & nostræ congregationis in ipsum: ut non citò moveamini à vestro sensu, neq; terreamini, neq; per spiritum, neque per sermonem, neq; per epistolam, tanquam per nos missam, quasi instet dies Domini. Ne quis vos* SEDUCAT *ullo modo: quoniam nisi venerit discessio primùm, & revelatus fuerit homo peccati, Filius perditionis: qui adversatur & extollitur super omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita, ut in Templo Dei sedeat, ostendens se, tanquam sit Deus*. &c. (Lege totum Caput, & probè expende.) Audis hîc Seductionis notam inuri omnibus iis, qui instare Diem Domini dixerint, priusquam Apostasia sit facta, manifestatusque Filius perditionis in Templo Dei sedens, & super omne divinum se extollens. *Apostasia Ecclesiæ per universum ferè Mundum.*

Sed *regeris*: *Apostasiam illam jamdudum esse factam, simulq; detectum esse Filium perditionis per ministerium B. Lutheri.* Scio, hæc ita magno nisu doceri, nec etiam abnuo: scio quoque, radicatas Opiniones, præsertim à Viris magnæ Autoritatis defensas, difficilè animis eximi: scio itidem à benè multis, nec sinè causâ, negari, hanc *Apostasiam* jam evenisse. Breviter ergò *respondeo*: *Esse inceptam, nondum peractam; restare Actum ejus teterrimum, nempe Apostasiam & abnegationem* AGNITÆ VERITATIS *per universum Mundum*, exceptis pauculis Electis, in sylvis, rupibus, & speluncis latitantibus. De quâ Apostasiâ legere potes, quæ habet *B. Lutherus, præfat. ad Cap.* XII. *Danielis*. Utique Apostasia illa, de qua *Paulus* loquitur, perpetrari

ri debet 1. à Christianis; alioquin enim non posset dici Apostasia. 2. à Christianis Veritatem propositam recipere nolentibus; alioquin enim, nisi Veritas clarè ipsis proponeretur, sed saltem sensim in errores delaberentur, ignorantiam prætexere possent. Sed in loco Paulino *malitiosa repugnantia* taxatur, quæ deinde majoribus erroribus, totalique Apostasiâ punitur. Veritas illa proponebatur olim *Arrianis, Pelagianis, aliisq; hæreticis in Oriente*, nolebant eam recipere; pœna erat *Mahummedismus*: Nunc proponitur *Papistis, aliisq; hæreticis in Occidente*: nolunt eam recipere; caveant ergò sibi ab *Islamismo*. Vidit id suo jam tempore *Mechtildis* Prophetissa, Bernhelmi Abbatis Spanhemensis soror, referente *Hottingero Histor. Eccles. N.T. Seculo* XII. *sect.* 1. *pag. m.* 108. pronuncians: *Romanam Ecclesiam aliquando totaliter à fide Christianâ apostaturam apertè, quæ alioquin per multa jam tempora apertè apostataverat.* Sed per *Filium Perditionis Papam* intelligi statuunt; hoc argumento moti, quod in Templo Dei sedeat, hoc est in Ecclesiâ, quod de *Turcâ* dici haud possit. Ast nonne & Draco, h.e. Ethnicismus in cœlo locatur, postea in Terram dejiciendus, *Apoc.* XII *v.* 3. Non equidem Pontificem Romanum ab hoc prædicato libero, aut Filium perditionis esse nego: sed vellico Tibi aurem ut consideres, in *Apocalypsi* ut *Collegas* conjungi, *Draconem, Bestiam, & Pseudoprophetam*: primas tamen semper *Bestiæ*, ut nocentiori deferri. Quippe etiam falsa Ecclesia, à Pseudopropheta seducta, Christo gignit liberos, quòd de Synagogâ Draconis & Bestiæ affirmare non licet.

Quicquid autem de illâ Apostasiâ statuatur: hoc tamen ex loco Paulino colligitur, *Seductionis* notam inuri Illis, qui diem extremum adesse affirmant, priusquã omnia prædicta impleantur. Ostendant jam, in Sacris ejusmodi fulmen vibratum in illos, qui temporum momentis revelatis attendunt, capitaque sua attollunt, & ex Signis, num præstò sit Redemtio, dijudicant; & herbam facilis porrigam.

Nunc Tibi saltem expendendum relinquo: quantas *Primitiva Ecclesia* pertulerit Oppressiones, & tamen istæ calamitates & persecutiones, solummodò per *dolores Mulieris parturientis*, cui Draco, irrito quanquam conatu, insidiatur, figurantur. Cogitandum itidem propono; quàm horribilia *à Sarracenis* passa sit Ecclesia? & tamen tantummodò *per Fluvium mulierem* (*ut ut frustrà*)

suf-

suffocare conantem, describitur. Perpendendum quoque rogo; quantis erroribus & corruptelis implicata & vexata fuerit Ecclesia *sub medio Papatu?* & tamen solùm *per Eremum, & per obscurationem Solis, Lunæ & Stellarum*, QVOAD TERTIAM PARTEM *saltem*, depingitur. Atqui *ultimam illam Oppressionem, Internecionem Testium* JESU vocat, *ut modò Cadavera Christianismi reliqua sint*; *perq;* OMNIMODAM & TOTALEM *Solis & Lunæ obscurationem, itemq; per Stellarum decidentiam de cælo*, describit Spiritus S. quod utique argumento est, istam Apostasiam omnes præcedentes Angustias magnitudine suâ superaturam. Quare cùm hoc ipso Capite probaverim, *Multa superesse implenda*, & id ipsum fusius sub *quintâ & sextâ Ætate* probaturus sim, non poterunt imposterum Titulum *Seductionis* effugere, qui pertinaciter sustinebunt: *Instare jam Diem Domini*.

Quartò, *Impietatis* Te accusabo, ex verbis Angeli apud *Danielem* XII, *v. 9.10. Vade Daniel*, inquit, *quia clausi sunt signatiq; Sermones, usq; ad præfinitum tempus: Eligentur & dealbabuntur, & quasi ignis probabuntur multi: & Impii agent impiè, neq; intelligent omnes* IMPII: *porrò Docti intelligent*. Benè *Lutherus* in Germanicâ Versione: Di Gottlosen werden es nicht achten: aber di Verständigen werden es achten. *Impietatis* hîc accusantur, qui postquam *præfinito tempore* clausi signatique sermones aperientur, ea Vaticinia floccipendent.

Ut autem videas, non sine causâ Impietatis notam istis incuriosis tribui, agè paululum delineabo, quid damni ex illo contemtu vaticiniorum possit emergere.

Et primò quidem *fomentum Securitati præbetur*: dum enim pœnas prædictas eventuras haud credimus, sed omnia Vaticinia falsâ interpretatione sufflaminamus, nosque spe vanâ lactamus, & cum auditoribus *Jeremiæ, Cap.* V. *v.* 12. 13. dicimus: *Non est Ipse* (sc. Deus, qui hæc locutus est): *neq; veniet super nos malum: gladium & famem non videbimus. Prophetæ fuerunt in ventum locuti, & responsum non fuit in eis.* Quid aliud exinde profluere potest, quàm ut æstuantem iram Dei adversus Regna & Respublicas Christianorum, ob gravissima eorum peccata, flocci pendamus, & securè absque metu divino in prævaricationibus nostris pergamus. Viderint ergò, quo nitantur fundamento, qui sibi ita blandiuntur, ut statuant non fore, ut Regna Christianorum à Turcis aliquando sub-

jugentur, & Mahummedismus introducatur: quia diversum *Apocalypsis* expresse docet *Cap.* XIII. *v.* 7. 8. 9. *Datum est ei bellum gerere cum SANCTIS, & EOS VINCERE: & data est ei potestas in OMNEM TRIBUM, ET LINGUAM, & GENTEM, itaq; adorabunt eam OMNES incolæ Terræ, quorum non sunt scripta Nomina in Libro Vitæ Agni illius mactati jam inde à jactis Mundi fundamentis. Si quis habet aurem, audeat.* Caveant potiùs, ne aliquando de ipsis querela *Jeremiæ* repetatur, *Cap.* IV. *v.* 10. *Heu, heu, heu! Domine Deus ergóne decepisti* (errare sivisti) *populum istum, & Civitatem, dicens* (dicendo) *Pax erit vobis* (i. e. dum Sacerdotes & Pseudoprophetas prædicare permisisti, quòd omnia feliciter eventura sint,) *& ecce pervenit gladius usq; ad animam!*

Secundò, *frigida Atheismo & Epicureismo suffunditur.* Dum enim ad ravim usque clamitamus: Omnia jam esse impleta; nobisque immunitatem à jugo Turcico promittimus, Dicta nobis contraria elevantes: Homines in fide suâ non satis confirmati, nec ad tantas calamitates præmuniti, cùm tot mutationes istis assertionibus contrarias cernent, facilè tunc in eam delabentur Opinionem, Omnia casu fieri, Scripturamque nihil aut parùm Veritatis habere; & sic se maximo cœtui adjungent, jacturam fidei & Christianismi facientes: cùm alias prædictionibus his instructi, ea fieri videntes, præ prædicta sunt, in fide suâ egregiè confirmarentur.

Tertiò, *Ecclesia solatio*, & munimento à Scandalis ejusmodi sufflaminatione Vaticiniorum, *spoliatur.* In hunc enim finem Tribulationes prædictæ sunt, ne scandalizemur, sed ad divinam, in angustiis respiciamus Providentiam. *Videte, ne turbemini, oportet enim hæc fieri,* inquit Christus, *Matth.* XXIV. *v.* 6. Quarè obsecro Prædictiones accuratè pensitemus, priusquam in re tanti momenti vel negemus, vel asseramus aliquid; ne Ecclesiæ Matri damnum demus.

Quartò: *Christus mendacii postulatur*; utpote qui negat, Mundum transiturum, donec Omnia fiant. Omnia autem Vaticinia *jam* impleta esse, nunquam probabitur: nec enim sufficit nuda assertio.

Quintò: falsâ interpretatione, & contemtu prolatæ Veritatis, *additur & demitur Vaticiniis Apocalypticis.* Quàm grave autem illud sit peccatum, docet ipsa *Apocalypsis*, *Cap.* XXII. *v.* 18. 19. *Contestor*

testor omni audienti Verba prophetiæ hujus Libri: si quis apposuerit ad hæc, apponet Deus super illum plagas scriptas in libro isto. Et si quis diminuerit de verbis libri prophetiæ hujus, auferet Deus partem ejus de libro vitæ, & de Civitate sanctâ, & de his, quæ scripta sunt in libro isto.

Hæc autem iis dicta sunto, *qui audiunt verba Prophetiæ hujus:* hoc est, *qui horum ænigmatum explicationem acceperunt*, nec tamen moniti sapientiores evadunt, sed antiquum obtinentes, Veritati obstrepunt: Non verò iis, qui hactenus in explicando aberrârunt. Aliud quippe est, Veritatem abstrusam haud invenire; & aliud, ab aliis inventam & productam, oppugnare. Aliud est à viâ aberrare: & aliud, in rectam viam nolle reduci. Illud imbecillitatis humanæ est, hoc verò pertinacis malitiæ.

Et hisce Caput Septimum claudo!





CAPUT IIX.

Primam Ætatem, sive Periodum Ecclesiæ N. T. depingit.

Constitutâ & defensâ Periodo certâ Ecclesiæ Novi Testamenti, ad Expositionem hujus Vaticinii nos accingimus. Non autem opus judico, ut ea, quæ in præcedentibus explicata sunt, tædiosè repetam: sed cùm *Chronotaxin* scribam, septem illas Ætates, seu principaliores Periodos Ecclesiæ, unam post alteram, cum Visionibus ad singulas pertinentibus, contemplabor: ubi, si quid in primis Capitibus *Apocalypseos* reliquum erit, quod explicatione opus habeat, & ab aliis non sit animadversum, aut etiam nostro proposito inserviat, datâ occasione commodè exponi poterit. Accedo itaque *ad Primam Ætatem seu Periodum.*

Prima Ætas Ecclesiæ continet Annos 343. ab A. C. 33.

Prima hac Ætas Ecclesiæ continet Annos trecentos quadraginta tres; & incipit *Anno Æræ Christianæ Trigesimo tertio*, ut *suprà Cap.* VI. *hujus libri* fusè probatum est; exit autem *Anno ejusdem Æræ* 375. *Describitur* à Spiritu Sancto hoc in Vaticinio 1. *per Epistolam ad Ephesinam Ecclesiam*: 2. per *Sigillum primum apertum*: 3. per *Tubicinium primum*. Pertinent etiam ad hanc ætatem ea, quæ *Apoc.* XII. *à v.* I. *ad* 12. *usq; de Muliere prægnante, & Dracone insidiante, coq; de cœlo deturbato*, habentur: sed quia Caput istud Historiam ultra bis mille annorum complectitur, hujusque visionis finis demùm in sextam ætatem incidit, integram Visionem tum sub sextâ Periodo perlustrabo, cùm eò pervenero: hac vice autem tria priora singillatim contemplabimur.

Epistola Ephesina.

Et primò quidem, *Epistolam Ephesinam* quod attinet, ea legitur *Apoc. Cap. secundo à v.* 1. *ad* 7. *inclusivè*, & sic habet. *Et Angelo Ephesi Ecclesiæ*

Ecclesiæ scribe: Hæc dicit, qui tenet septem Stellas in dexterâ suâ, qui ambulat in medio septem candelabrorum aureorum: Scio opera tua & laborem, & patientiam tuam: & quia non potes sustinere malos, & tentasti eos, qui se dicunt Apostolos esse, & non sunt, & invenisti eos mendaces; & patientiam habes, & sustinuisti propter nomen meum, & non defecisti. Sed habeo adversum te pauca, quod charitatem primam reliquisti: Memor esto itaq; unde excideris: & age pœnitentiam, & prima opera fac: sin autem, venio tibi, & movebo candelabrum tuum de loco suo, nisi pœnitentiam egeris. Sed hoc habes, quia odisti facta Nicolaitarum, quæ & ego odi. Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis: Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod est in Paradiso Dei mei. In hac Epistolâ tria potissimùm ponderanda veniunt: 1. *Cujus nomine scribatur.* 2. *ad quos scribatur.* & 3. *quid contineat hæc Scriptio?*

I. Is, qui Johannem scribere jubet, partim in hac Epistolâ: *Et Angelo Ephesi Ecclesiæ scribe*; partim *Cap.* I. *vers* 19. & 20. *Scribe ergo, quæ vidisti, & quæ sunt, & quæ oportet fieri posthæc* & *v.* 11. *quod vides, scribe in libro, & mitte septem Ecclesiis, quæ sunt in Asiâ, Epheso, & Smyrnæ, & Pergamo, & Thyatiræ, & Sardis, & Philadelphiæ, & Laodiceæ*: Is, inquam, qui hîc scribere jubet, & cujus nomine, non modò hæc ad Ephesinam Ecclesiam Epistola, sed & reliquæ sex exarantur, nobis depingitur *Cap* I. *à vers.* 12. *ad* 18. his verbis: *Et conversus sum, ut viderem vocem, quæ loquebatur mecum, & conversus vidi septem candelabra aurea: Et in medio septem candelabrorum aureorum similem Filio hominis, vestitum podére, & præcinctum ad mamillas zonâ aureâ. Caput autem ejus & capilli erant candidi, tanquam lana alba, & tanquam nix; & oculi ejus tanquam flamma ignis. Et pedes ejus simmiles aurichalco, sicut in camino ardenti: & vox illius, tanquam vox aquarum multarum. Et habebat in dexterâ suâ Stellas septem, & de ore ejus gladius utraq; parte acutus exibat; & facies ejus, sicut sol lucet in virtute sua: Et cùm vidissem eum, cecidi ad pedes ejus tanquam mortuus: & posuit dextram suam super me dicens: Noli timere, Ego sum primus & novissimus, & vivus, & fui mortuus, & ecce sum vivens in secula seculorum, & habeo claves mortis & inferni.*

Cujus nomine scribatur.

Christum in hanc descriptione nobis sisti, monent omnia, potissi-

tissimùm tamen ultima verba: *Ego sum primus & novissimus; & vivus, & fui mortuus, & ecce sum vivens in secula seculorum, & habeo claves mortis & inferni*: quibus verbis uterque Status tàm exinanitionis, quàm exaltationis describitur. Respectum tamen haberi etiam ad mysticum Corpus Christi, nimirum Ecclesiam, monent non pauca: utpotè quòd vox Christi per *Vocem multarum aquarum* describitur, quo notatur, Verbũ Christi multis populis, qui Aquis assimilantur *Apoc.* XVII. *Cap.* (*Aquæ, quas vidisti, ubi meretrix sedet, populi sunt, & gentes, & linguæ*) fore prædicandum: deinde quòd *pedes aurichalco candenti similes* Christo hîc adscribuntur, quales etiam *Angelus jurans Cap.* X. habet; vis veritatis, & firmitas doctrinæ innuitur: *Facies* itidem *ut Sol rutilans*, Verbum revelatum in Scripturis, & in Ecclesiâ purè prædicatum figurat: quod multis ex locis Apocalypticis claret, præsertim ex *Cap.* VIII. *v.* 12. *Cap.* IX. *v.* 2. & *Cap.* VI. *v.* 12, ubi *per Solem*, *Verbum Dei prædicatum* intelligitur.

Non autem opus est, ut singula membra istius descriptionis jam latè exponam; partim quia hoc ab aliis dudum bellè præstitum est; partim quia singulæ inscriptiones Epistolarum, quosdam titulos Salvatoris ex hac descriptione, non sine causâ repetunt: & ita in expositione illarum Epistolarum simul explicabuntur.

Breviter tamen: describitur hoc loco Christus, 1. à suâ humanâ Naturâ: 2. à Vestitu; qui Sacerdotium: 3. à præcincturâ; qua promtitudo in Officio: 4. à Mamillis; quibus cura erga Ecclesiam: 5. à colore Capillorum; quo Æternitas: 6. ab Oculis; quibus Omniscientia: 7. à Pedibus; quibus Veritas: 8. à manu dextrâ; quâ protectio piorum: 9. à gladio in ore; quo efficacia verbi, & vindicta in impios: 10. à colore faciei; quo & illuminatio & glorificatio: 11. à Voce; quâ effectus Verbi prædicati, notatur.

Ἐπιγραφὴ autem hujus *Ephesinæ Epistolæ* Christo hunc Titulum tribuit: *Hæc dicit, qui tenet septem Stellas in dextrâ suâ, qui ambulat in medio septem Candelabrorum aureorum.*

Qui tenet septem Stellas.) *Stellæ* in Sacris inter alia notant *Sanctos seu Christianos*, *Dan.* VIII. *v.* 10. ubi de Antiocho Epiphane, typo Antichristi, dicitur: *Et magnificatum est usq; ad fortitudinem cœli, & dejecit de fortitudine, & de stellis, & conculcavit eas*; exponitur

per

per angelum *v. 25.* his verbis: *& interficiet robustos, & populum Sanctorum*: ubi claret, per Stellas intelligi *Sanctos.* Sic usurpatur etiam *Apoc.* XII. *v.* 4. potissimùm autem Stellæ figurant *Doctores & Pastores Ecclesiarum*, *Dan.* XII. *v.* 3. *&* 5. inter se collatis. Et sic in *Apocalypsi Cap.* XII. *v.* 1. per *duodecim Stellas*, *duodecim Apostoli*, seu potius ipsorum Doctrina, notantur.

Cùm ergò hoc loco Christo ascribatur, quòd *septem Stellas in dextrâ suâ teneat*; sensus est, Christum omnes omninò omnium ætatum & seculorum locorumque Christianos, tàm Doctores, quàm Auditores in manu suâ tenere, conservare ac protegere; juxta ipsius promissum *Joh.* X. *v.* 28. *&* 28. *Oves meæ vocem meam audiunt, & ego eas agnosco & sequuntur me: & Ego vitam æternam do eis, nec peribunt in æternum, neq; rapiet eas quisquam è manu meâ. Numerus* autem *Septenarius* licet hîc indefinitam multitudinem, soli Deo cognitam notet; non tamen dicis gratiâ additus est; sed universam Ecclesiam in septem ætates seu periodos divisam esse monet. Unde non temere hic Numerus septenarius est immutandus, sed presse retinendus; uti & ab ipso Christo retinetur, cum *Cap.* I. *v.* 20. dicit: *Mysterium septem stellarum quas vidisti in dexterâ meâ, & septem candelabra aurea septem. Stellæ, Angeli sunt septem Ecclesiarum, & candelabra septem, septem sunt Ecclesiæ.* En! numerus præcisè repetitur. Quinam verò sint illi *septem Angeli* Stellis septem figurati, *supra* ostensum est; nempe quòd sint *septem illi Angeli Tubicinatores*, seu tota N. Test. Ecclesia, septem Jubileis Angelicis constans.

Dicimus *Numerum Septenarium sacrum & perfectum*, videmusque, eo Prophetas maximè gaudere, ut Elias *septenâ vice* puerum ad mare speculatum mittit, I. *Reg* XVIII. *v.* 43. &, ne inferamus, Prophetæ mentem esse, multoties puerum spectatum abire debere, *v.* 44. additur: *septimâ vice dixit: nubecula ascendit e mari* Sic Elisa Naemanum *septies* in Jordane lavare jubet II. *Reg.* V. *v.* 10. Aliaque plurima exempla occurrunt. Quid causæ dicamus subesse? Certè nullam aliam, nisi quòd Deus omne tempus, præsertim Novi Testamenti hoc numero sacro distinxerit. Semper itaque isti Videntes hoc numero ad Ecclesiam Novi fœderis respiciunt, felicitatemque Christianam mirantur. Hinc & *Septenarius* toties in Typis occurrit: ut, *septem diebus* panis azymus erat in Paschate comeden-

medendus *Exod.* XII. *septem diebus* ſummo Sacerdoti intrandum erat in Sanctum Sanctorum *Exod.* XXIX. Altaris ſanctificatio itidem per *ſeptem* integros *dies* celebrabatur *ibid.* Typica hæc eſſe, quis poterit negare? ſed rectè *Theodoretus*: μηδένα οὖν τύπον κατασκεδάσει, οὗ τὸ ἀρχέτυπον οὐκ ἐπίστασαι. Meritò igitur de Archetypo ſolliciti ſumus, quem etiam, uti dictum eſt, feliciter jam invenimus. Sed pergimus:

Qui ambulat in medio ſeptem candelabrorum aureorum.) Facilia hæc ſunt intellectu; cùm ex præcedentibus conſtet, quid per ſeptem Candelabra aurea ſit intelligendum. Senſus igitur eſt: *Chriſtum Eccleſiæ ſuæ ſemper præſentem eſſe*, ut promiſit *Matth.* XXVIII. *v.* 20. *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus, usq; ad conſummationem ſeculi*: & quidem ſic eſſe præſentem docet hæc Viſio, non ut otioſum ſpectatorem, ſed ut ellychnia emungat, oleum infundat, candelabra adornet, &, ſi opus, etiam loco moveat; quod olim etiam, in typo, Aaronis erat officium. *Numerus ſeptenarius* itidem ſeptem illas Periodos notat, ſeu ætates Eccleſiæ: Unica enim eſt Eccleſia, ſed loco & tempore diſtinguitur.

Cui ſcribatur. II. Novimus itaque cujus nomine ſcribatur, nempe Chriſti Salvatoris: videndum jam, *ad Quem* hæc Epiſtola prima ſit exarata? Ἐπιγραφὴ habet: *Angelo Epheſinæ Eccleſiæ ſcribe.* Quis per *Angelum* intelligi debeat, dudum jam monui; nimirum hoc loco *Eccleſia tota per integras trecentos & quadraginta tres annos*, à viſibili effuſione Spiritûs S. ſuper Apoſtolos incipiendo. Hoc quidem nonnullis paradoxum primâ fronte videbitur, & difficile erit creditu, quia, ex præconceptâ opinione, per *Angelos* in his Epiſtolis, Epiſcopos ſive Paſtores intelligunt. Mirum autem foret, cur Spiritus Sanctus, ſi; ut multi volunt, hoc loco ad particularium illarum Eccleſiarum Epiſcopos ſcribitur, voce *Angeli* uti voluerit, & non potiùs titulo Epiſcopi aut Paſtoris. Dudum autem alii jam monuerunt, prædicata oſtendere, non ad unum aliquem ſcribi, ſed potiùs ad totum Miniſterium illius loci: & colligunt idipſum 1. Ex immutatione Numeri ſingularis in pluralem, ut *hoc Cap. v.* 10. *Futurum eſt, ut mittat Diabolus aliquos ex Vobis in carcerem, ut exploremini*: ſic *v.* 24. *Vobis autem dico cæteris, qui Thyatiræ eſtis: quicunq; non habent doctrinam hanc, qui non cognoverunt altitudinem Satanæ, &c.*

2. Ex

2. Ex laudationum, & comminationum ratione, quæ simul in uno Subjecto stare nequeunt: 3. quia tum temporis nondum unus quispiam reliquis erat præpositus Episcopus; sed Presbyteros Ecclesiæ Ephesinæ Miletum accersitos omnes vocet Episcopos D. Paulus *Act.* XX. *v.* 17. 28. Et *Philipp.* I. *v.* 1. plures Episcopos Philippis esse scribit: *Omnibus Sanctis in Christo Jesu, qui sunt Philippis*, inquit, *unà cum Episcopis & Diaconis.*

Sed ne sic quidem Prædicata conveniunt omnia, etiamsi statuatur, per Angelum totum Presbyterium hujus illiusvé Ecclesiæ intelligi debere. Quia 1. jubetur Apostolus scribere *Ecclesiis Cap.* I. *v.* 11. sed illa consistit ex Doctoribus & Auditoribus: 2. cùm contineat Epistola non solùm vituperationes, sed & laudationes, manifestum est, si Presbyterium sive Ministerium per Angelum intelligatur, quòd non totum Presbyterium, sed pars ejus, & quidem minor, quia laudationes vituperia in nonnullis longè superant, ut in hac Ephesinâ, fuerit corruptum: quomodo ob unius alteriusve hominis languescentem charitatem (id enim hoc loco reprehenditur) Candelabrum loco suo movendum erit? Toti igitur Ecclesiæ, quæ Ephesi fuit, tam Doctoribus, quàm Auditoribus, scribi rectiùs alii statuunt.

Rectissimè autem per hunc *Angelum* nobis *Primitiva Ecclesia*, *per trecentos annos*, & quod superest, sistitur. Est enim hic Angelus unus ex illis Septem, de quibus *Cap.* I. *v.* 20. sive unus, & quidem primus ex Tubicinatoribus, ut antea probatum; & Titulus Christi, huic Epistolæ præfixus manifestè docet. *Quis Angelus Ephesi.*

Facilius equidem fuisset intellectu, si loco *Nominum propriorum* in his Epistolis *Numeri* positi essent: ut, *Scribe Angelo primo; Angelo secundo; Angelo tertio*; aut: *Scribe Angelo primæ Ecclesiæ; Angelo secundæ Ecclesiæ*: quivis tum *facilè* videre potuisset, respici voce *Angelus* ad Angelos Tubicinatores: sed Nomina propria addenda erant; tum ut sub velamine isto *nostris temporibus*, quorum causâ potissimum scripta est Apocalypsis (uti sub quintam & sextam Ætatem ad oculum monstrabimus) expositio solida reservaretur: tùm ut τὸ πρέπον observaretur; solemus enim, si ad quem scribimus, Loci nomen, ubi is degit, cui scribimus, titulo præfigere: tùm denique ut his ipsis nominibus aliquid doceretur.

Quare autem Spiritus S. primam Ætatem Ecclesiæ, *Ephesios* nomine insignire voluerit, primâ fronte non adeò obvium est. Si tamen *Nomina* hæc *Propria* consideramus, ad illorum *Etymon* alludi animadvertimus: quod in singulis erit observandum.

Ephesus. Hujus quidem Urbis *Nomen* nonnulli à voce ἔφεσις deducunt: quò forte etiam *D. Hieronymus in Prœm. Commentar.* III. *ad Ephesios*, respexit, quando inquit: *Ephesus in Latinâ linguâ interpretatur Voluntas, sive consilium meum in eâ, vel certè anima mea in eâ:* propter quod Etymon quidem à *Iosepho Scaligero in Animadversionibus ad Eusebii Chronicon* castigatur, cùm potiùs Urbs *ab Epheso conditore* suum habeat nomen. *Pausanias in Achaicis:* Κρῆσος δὲ αὐτόχθων ἦν καὶ Ἔφεσος (Καΰστρου δὲ τοῦ ποταμοῦ τὸν Ἔφεσον παῖδα εἶναι νομίζουσιν) οὗτοι τὸ ἱερὸν εἰσιν οἱ ἱδρυσάμενοι, καὶ ἀπὸ τοῦ Ἐφέσου τὸ ὄνομα ἐστὶ τῇ πόλει.

Sed utut ab Epheso conditore Urbs habeat nomen; unde verò nomen *Ephesi* deducitur? certè à voce ἔφεσις, quod non solùm voluntatem, appetitum, aut desiderium notat, sed etiam provocationem à judicio ad judicium, itemque remissionem & relaxationem: ab ἐφίημι *remitto, relaxo:* unde *Naz.* ἔφεσις ἀσωφρόνιστος, dimissio absque castigatione. Quod utique Etymon belle in Primitivam Ecclesiam quadrat: incepit enim à remissione & relaxatione per Christum factâ, quâ effectum, ut posthac à judicio ad judicium, à justitiâ nimirùm ad misericordiam, sive à Mose ad Christum liberè provocare possemus: ut sic ratio inditi nominis satis sit manifesta.

Accedit, quòd ipsi Apostoli Ecclesiam Ephesinam rexerint: à Paulo enim plantata est, & à Johanne posteà gubernata; ita ut ex hac Urbe Verbum Dei in totam Asiam, scil. minorem, emanârit: sic enim scribitur de Paulo *Act.* XIX. *v.* 10. *quotidie disseruit in Scholâ Tyranni cujusdam, hoc autem factum est per biennium, ita ut omnes, qui habitabant in Asiâ, tùm Judæi, tùm Græci audirent Sermones Domini Jesu:* Meritò ergò *Ephesus* illam ætatem Ecclesiæ, quæ Apostolorum tempore cœpit, & quæ tum, cùm Apocalypsis scribebatur, decurrebat, quæque Verbum Domini Jesu, per traditionem verè Apostolicam, reliquis sex Ecclesiis tradidit, repræsentabat.

Cæterùm

Cæterum non multus ero in recenſendo, ubi hæc Urbs ſita fuerit: nec prolixam de ipsâ urbe inſtituam narrationem; quia vix quicquam noſtro propoſito conferre poteſt. Fuit equidem hæc Urbs nobiliſſima, in Aſiâ propriè ſic dicta, quæ eſt peninſula ad Euxinum, Ægæum, & Pamphiléum mare, terminata à Septentrione Bythiniâ; ab Occidente Helleſponto, Ægæoque pelago; à Meridie Lyciâ; ab Oriente partim Lyciâ, partim Pamphiliâ, & Galatiâ, ſita; ad littus Icarii pelagi, non procul à Cayſtro fluvio, caput Ioniæ, maximum Emporium totius Aſiæ, & propter Dianæ templum decantata. Sed nihil h[æ]c nos attinent, ſive ſciamus, ſive neſciamus, perinde eſt: cùm Spiritus S. aliud hoc nomine intendat, quàm Urbis iſtius encomium: non enim Urbis unius, utimodò docuimus, ſed totius Orbis, per quatuor ferè ſecula durantem Eccleſiam, ſub hoc nominis velamento, contemplam[u]r.

III. Videndum itaque *Quid ſcribatur*, & quòd hæc ipſa Scriptio primæ ætati bellè conveniat, ex Antiquitatis teſtimonio eſt oſtendendum. Singula ponderabimus! *Quid ſcribatur.*

Scio Opera tua: οἶδα τὰ ἔργα σȣ.) Non huic ſolummodò Angelo, ſed & reliquis omnibus, etiam ultimo, hæc ingerit; ex quo patet, *Opera* hoc loco indifferenter ſumi, tàm de malis, quàm de bonis operibus, quorum exactam notitiam ſibi tribuit Chriſtus: nec immeritò, quia *noverat quid eſſet in homine, nec opus habebat, ut aliquis ei diceret*, & hoc in diebus carnis ſuæ, nedum poſt factam exaltationem: unde *Petrus* illum *Omniſcium* pronunciat, dicens: *Domine, tu ſcis omnia.* Cùm autem Verba notitiæ Affectum ſimul includant, hæc Verba intimam perſpicientiam operum, cum approbatione bonorum, & malorum ſeverâ deteſtatione notant. Non igitur unquam pietati præmium, ut nequitiæ juſtum deerit ſupplicium.

Et laborem, & patientiam tuam. καὶ τὸν κόπον σȣ, καὶ τὴν ὑπομονὴν σȣ.) Vox græca κόπος reſpondet Hebraicæ עמל *hhamal*, ſignificans laborem cum moleſtiâ conjunctum: ſic *Matth.* XI. *v.* 28. οἱ κοπιῶντες *defatigati.* ὑπομονὴ propriè *ſuſtentationem*, quâ impetus & incurſus alicujus rei ſuſtinetur, ſignificat: ſumitur autem pro *patientiâ & æquitate animi in adverſis*, ſeu etiam in moleſtiis. Poſſet autem Senſus horum verborum idem eſſe, ac *verſus tertii*, ut *labor*, pro *perſecutione & afflictione*, ὑπομονὴ verò pro *perſeveran-*

rantiâ in iſtis malis accipiatur. Sed communiter hoc loco Interpretes per *κόπον laborem in docendo*, ex I. *Theſſal.* V.12. & I. *Timoth.* V.17. & per *ὑπομονὴν animum placidum & aptum ad docendum, cum lenitate malos tolerantem*, ex II. *Timoth.* II. *v.* 23. 24. intelligunt. Nec hæc expoſitio quicquam incommodi habet, ſed optimè, tùm *Epheſinæ Eccleſiæ*, ſtrictè ſic dictæ; tùm *Primitivæ*, ejus antitypo convenit. Diligentia ſanè *Pauli* nota eſt ſatis, *Act.* XIX. *v.* 10. *Epiſcoporum* ſedulitas & amor videri poterit *Act.* XX. *v.* 37. 38. Nec *Johannes* ſuo defuit officio; uti nec *Timotheus* huic Eccleſiæ à Paulo præfectus. De *primitivâ Eccleſiâ* placent verba *Thomæ Brigtmanni, Angli*, in hunc ipſum locum: *Nunquam fidelius*, inquit, *incumbebatur ad docendum: monſtrum illud nondum editum erat, ut Paſtor quis eſſet qui non omninò paſcit; aut in cathedrâ Doctoris quis ſederet, qui mutus torpeſceret, diſtractus aliis negotiis. Nemo Epiſcopus tum extitit, cui docendi munus erat, qui non diligentisſimè docebat. Etiam Romæ, ubi myſterium iniquitatis maturius pullulare oportebat, non ceſſatum erat adhuc ab hoc munere. προεστὼς quovis die Dominico ad minimum, ea quæ ex Commentariis Apoſtolorum & Prophetarum* (ſunt verba *Juſtini*) *lecta fuerant, planè & perſpicue explicabat; tum etiam id monebat & hortabatur, ut imitarentur ea, quæ ſancta bonaq; recitata audiviſſent. Juſtin. Apol. 2. Idem teſtantur Clemens, Origenes, Tertullianus, Cyprianus: ſed res eſt clara & manifeſta.* Hactenus *Brigtmannus*. Addi poſſunt ea, quæ *Juſtinus in dialog. cum Tryphon.* habet: *Die Solis Urbanorum & Ruſticorum coitus ſunt; ubi Apoſtolorum, Prophetarumque literæ, quoad fieri poteſt, præleguntur; deinde ceſſante lectore, Præpoſitus facit verba adhortatoria, ad imitationem tam honeſtarum rerum invitans. Poſthæc conſurgimus omnes, & precamur. Poſtea profertur, ut diximus, panis, vinum, & aqua. Tum Præpoſitus, quantum poteſt, precatur, & gratias agit: Plebs verò Amen accinit. Inde conſecrata diſtribuuntur ſingulis, & abſentibus mittuntur per Diaconos.* Hæc *Juſtinus*.

Quales verò Paſtores & Doctores eſſe debeant, latè proſequitur *Clemens Alexandr. Strom. Lib. I mox ab init.* Nec dubitandum, tales etiam fuiſſe in Eccleſiâ primitivâ, cùm zelus & fervor nondum deferbuiſſet: de quâ ſedulitate, fervore & æquanimitate, teſtari etiam inter alia poſſunt *Paræneſes ad Gentes*, itemque *Apologiæ pro Chriſtianis conſcriptæ*, & tandem Evangelii per tot Gentes & Linguas pro-

propagatio: ita ut hæc expoſitio bellè primitivæ Eccleſiæ conveniat.

Et quia non potes ſuſtinere malos. ϗ ὅτι ὀ δύνῃ βαςάσαι κακὺς.) Zelus in tuendâ Diſciplinâ Eccleſiâ his verbis laudatur: quòd nimirùm vitiis in cætu graſſantibus ſe fortiter oppoſuerit, ſcandaloſos rigidis cenſuris corrigendo, vel etiam à communione Eccleſiæ ejiciendo, ſecundùm Chriſti *Matth.* XVIII. 17. & Apoſtoli I. *Corinth.* V, 5. præceptum. Hunc zelum in primitivâ Eccleſiâ per illa priora ſecula maximè viguiſſe tam notum eſt, ut nullâ egeat probatione. Certè interdum tam rigidi fuerunt Cenſores, ut nimio zelo, nimiâque rigiditate interdum peccaretur. Videri tamen de hac Cenſurâ & Diſciplinâ Eccleſiaſticâ poſſunt *Juſtinus Apol.* 2. *Tertullianus Apolog. Cap.* 39. & *Origenes Tractat.* 35. *in Matth. Hom.* 7. *in Joſu.* Itemque *Centur. Magdeburg. Cent.* II. *Cap.* VI. & VII. item *Cent.* III. *Cap.* VI. ubi latè hanc materiam tractant *Centuriatores.* Adſcribam quæ ex *Cypriani Epiſt.* 2 *Lib.* IV. adducunt: *Si qui lapſi eſſent, & benè habentes pœnitentiam non egiſſent, nec dolorem delictorum ſuorum toto corde & manifeſtâ lamentationis ſuæ profeſsione teſtati eſſent; morbo correpti, etiamſi deprecari cœpiſſent, tamen omninò à ſpe communicationis & pacis prohibebantur; ideò, quòd rogare illos non delicti pœnitentia, ſed mortis urgentis admonitio compellere videretur: nec dignum putaretur accipere in morte ſolatium, qui non cogitâſſet ſe eſſe moriturum.* Hæc illi ex *Cypriano.*

Viguit igitur in primâ Eccleſiâ ſeculis primis maximè pietas, quod & Chriſtianorum hoſtis, *Plinius Secundus, Epiſtolâ ad Trajanum* ſcriptâ, fateri neceſſe habuit. *Affirmabant*, inquit, (nempè ii, qui Chriſtianiſmi accuſati, metu mortis, Chriſti nomen abnegârunt, Chriſtoque maledixerunt) *hanc fuiſſe ſummam vel culpæ ſuæ, vel erroris: quod eſſent ſoliti ſtato die ante lucem convenire, carmenq; Chriſto, quaſi DEO, dicere ſecum invicem; ſeq; ſacramento, non in ſcelus aliquod, obſtringere; ſed, ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent; ne fidem fallerent; ne depoſitum appellati abnegarent: quibus peractis, morem ſibi diſcedendi fuiſſe, rurſusq; coeundi, ad capiendum cibum, promiſcuum tamen & innoxium.* (Addit deinde) *Quo magis neceſſarium credidi, ex duabus Ancillis, quæ miniſtræ dicebantur, quid eſſet veri, etiam per tormenta quærere: ſed nihil aliud inveni,*

quàm Superſtitionem pravam & immodicam. Hæc Homo Ethnicus de Pietate Chriſtianorum ſui Seculi, quam malè *ſuperſtitionem* vocat, nolens volens teſtatus eſt.

Et tentaſti eos, qui ſe dicunt Apoſtolos eſſe, & non ſunt, & inveniſti eos mendaces. καὶ ἐπειράσω τοὺς φάσκοντας εἶναι ἀποστόλους, καὶ οὐκ εἰσί· καὶ εὗρες αὐτοὺς ψευδεῖς.) Periculoſa etiam erant prima tempora ob farraginem Hæreſiarcharum & Pſeudo-Apoſtolorum, contra quos jam Paulo ſuo tempore pugnandum fuit.

Ebioni & Cerintho obſtitiſſe Johannem, refert Hiſtoria Eccleſiaſtica. Certè & Gnoſtici & Carpocratiani multum damni intulerunt Eccleſiis; fueruntque in causâ, ut ea, quæ ab Hæreticis patrarentur, ipſis Orthodoxis à perſecutoribus objicerentur: donec tandem etiam nocentiſſima peſtis, *Hæreſis Arriana*, hac ipsâ ætate primâ, poſt reſtitutam Eccleſiæ per Conſtantinum Magnum pacem, exoreretur, & hac & ſequenti ætate turbas daret maximas. Innotuit enim Arriana Hæreſis Anno Chriſti 315. cùm, teſte *Euſebio*, Alexander, Epiſcopus Alexandrinus, Arrium presbyterio exuiſſet: & ſic venenum hoc Arrianum ipſos ſexaginta annos hanc Eccleſiam Epheſinam, ſive Periodum primam afflixit. Continet enim Periodus tota, ut ſupra dictum & probatum eſt, Annos 343. & demum anno æræ Chriſtianæ 375. exit; à quibus 315. abſtracti, ſexaginta relinquunt. Ut ita verè eventus prædictioni concinat.

Et patientiam habes, & ſuſtinuiſti propter Nomen meum, & non defeciſti.) Græca Exemplaria hîc variant. *Montanus* habet: καὶ ἐβάστασας, καὶ ὑπομονὴν ἔχεις διὰ τὸ ὄνομά μου, καὶ οὐκ ἐκοπίασας. Trajicit primas voces *Arethas & Vulgata*: καὶ ὑπομονὴν ἔχεις ἐβάστασας. *Beza* verò: Καὶ ἐβάστασας, καὶ ὑπομονὴν ἔχεις, καὶ διὰ τὸ ὄνομά μου κεκοπίακας, καὶ οὐ κέκμηκας: quod Exemplar etiam *B. Lutherus* in Verſione germanicâ ſecutus eſt: Und verträgeſt und haſt Gedult/ und umb meines Nahmens willen arbeiteſt du/ und biſt nicht müde worden.

His verbis laudatur patientia & conſtantia in perſecutionibus, quas graviſſimas pertulit Primitiva Eccleſia. Primam utique *Nero* movit: unde *Tertullianus Apolog. cap.* I ſcribit: *Conſulite commentarios veſtros, illic reperietis primum Neronem in hanc ſectam gladio feroci-*

roci-

rociisse. Tacitus Annal. Lib. XV. etiam hujus persecutionis meminit his verbis. *Et pereuntibus addita ludibria, ut ferarum tergis contecti, laniatu canum interirent, aut crucibus affixi, aut flammandi; atq; ubi defecisset dies, in usum nocturni luminis urerentur. Flammatio* hæc fiebat hoc modo (scribit *Calvisius ad Annum* 64.) *Illi miseri tædâ, papyro, & cerâ supervestiebantur, indestantibus ad palum gutturi uncus suffigebatur, ne motatione capitis picem effunderent, aut ignem declinarent. Posteà in laminâ ardenti pix aut unguen in caput liquefiebat, ita ut toti arderent, noctuq; loco luminis essent. Tantus autem Christianorum numerus ita combustus est, ut rivi pinguedinis humanæ per arenam Amphitheatri sulcum facerent.* Has Neronis furias continuavit *Domitianus*: unde à *Tertulliano, portio de crudelitate Neronis* vocatur. Nec mitior fuit *Trajanus*, optimus alioquin Princeps; nec *Antoninus*, licet Philosophus, & humaniori literaturâ imbutus. Crudelissimus fuit *Severus*, & verè *severus*, non in vitia, sed in pietatem. Busiridem & Phalarin egit *Maximinus. Christianorum desidiam furore suo castigavit, languescentemq; fidem persecutione excitavit Decius*, uti loqui amat *Cyprianus.* Secutus est *Valerianus*, qui & tenella infantium viscera dissecavit, teste *Eusebio*, *Lib.* VII. *Hist. Eccl. Cap.* 5. Annis quinquaginta post Valerianum, *Diocletianus* & *Maximinianus* per decem integros annos acerbissimam persecutionem concitârunt, ita ut in solâ Ægypto martyrio fuisse coronatos scribant centies & quadragies quater mille, & septingentos homines; ita ut & hinc *Æra Coptica ἐποχὴ μαρτύρων, Æra Martyrum* dicta sit. Clausit agmen persecutorum hac periodo tetra illa Bestia *Julianus*, qui non tàm sævitiâ, quam astu, Christianorum Nomen extinguere gestiit. Hæc monstra Primitiva Ecclesia perpessa est, & *patientiam habuit, & sustinuit*, uti noster *Johannes* loquitur. Licèt enim variis suppliciis torquerentur Christiani; (quorum tormentorum varietatem benè multam ex Antiquitate recenset *Hottingerus Histor. Eccles. Seculi* III. *Sect.* 2. *à pag.* 117. *ad* 121. qui videri poterit; ut & *Centuriatores Magdeburgenses, Seculis primis tribus*; itemq; *Eusebius in Histor. Eccles* qui sanè in iisdem recensendis multus est) nihilominus tamen inter has ipsas persecutiones Ecclesia crevit, & sanguine Martyrum quasi fæcundata, uberrimam Confessorum protulit segetem. Testem laudo *Justinum Martyrem Dial. cum Typh.*

 p. 377.

p. 377. *Nos enim*, inquit, *gladio percussos, cruci affixos, bestiis objectos, vinculis, igni, aliisq; tormentis omnibus afflictos non discedere, satis manifestum est: & quantò magis hæc talia tentantur, tantò magis alii plures fideles & pii propter Nomen Jesu fiunt.* Hæc *Justinus.* Multa itaque mala pertulit hæc Ecclesia prima, nec tamen defecit, sed ad sanguinem usque militavit: quod quia est notissimum, operosiori deductione haud opus habet.

Pergit Spiritus S.: *Sed habeo adversum te pauca, quod charitatem primam reliquisti.* ἀλλ᾽ ἔχω κατὰ σοῦ, ὅτι τὴν ἀγάπην σου τὴν πρώτην ἀφῆκας.) Vocula *pauca* non invenitur in fontibus: nec paucum aut leve est, quod hîc Ephesinæ Ecclesiæ objicitur, nimirum quòd primam charitatem reliquerit, & tam in doctrinâ, quàm vitâ & moribus desciverit à pristinâ puritate & pietate. Nemo autem meliùs hæc nobis explicaverit, quàm *Cyprianus*, *Serm. de lapsis p.* 218. *Quin traditam*, inquit, *nobis divinitùs disciplinam pax longa corruperat; jacentem fidem, & penè dixerim dormientem censura cœlestis erexit. Studebant augendo patrimonio singuli, & obliti, quid credentes, aut sub Apostolis ante fecissent, aut semper facere deberent, insatiabili cupiditatis ardore ampliandis facultatibus incubabant. Non in Sacerdotibus religio devota, non in ministris fides integra, non in operibus misericordia, non in moribus disciplina.* Quid quæsò aliud hîc conqueritur S. Pater, quàm Ecclesiam pristinam reliquisse pietatem & charitatem. Idem etiam *Eusebius* conqueritur tempora Diocletianam persecutionem antecedentia describens *Histor. Eccles. Lib.* VIII. *cap.* I. *Verùm ubi ex multâ libertate, multâq; indulgentiâ vitiati sunt mores, & disciplina corrupta est, dum alter alteri invidemus, & alter alteri derogamus, dumq; nos invicem mordemus & incusamus, & adversum nosmetipsos intestina prælia commovemus; dum verborum jaculis proximorum corda terebramus, dum Principes cum principibus, populi cum populis editiones & certamina concitamus; dũ simulatio in vultu, dolus in corde, fallacia profertur in verbis, & malorum per jugula cumulus intumescit; divina Providentia jacturam disciplinæ populo suo illatam, ex plurimâ pace & nimiâ sui lenitate, prospiciens, aggreditur primò sensim refrænare lapsantes, & integro adhuc Ecclesiæ statu, congregationibus manentibus, indulget interim eos, qui erant in militiâ tantùm, Gentilium persecutione pulsari. Sed cùm nullus ex hoc clementiæ ejus intelle-*

ctus

ctus populis redderetur, quin potiùs, velut ignorantes Deum, absq; divinâ providentiâ res agi ducerent, & per hoc eò magis persisterent in malis suis, atq; ipsi, qui duces populi videbantur & Principes, divini mandati immemores effecti, adversum se invicem contentionibus, zelo, livore, superbiâ, inimicitiis atq; odiis inflammarentur, ita ut tyrannidem potiùs quàm sacerdotium tenere se crederent, Christianæ humilitatis & sinceritatis obliti, sacra mysteria profanis mentibus celebrarent, tunc demum, secundùm vocem Hieremiæ Prophetæ, obscuravit Dominus in irâ filiam Sion, & dejecit de cœlo gloriam Israel &c. Hæc *Eusebius.*

Audiamus etiam *Hilarium* sic conquerentem: *Post Nicenam Synodum nihil aliud quàm fidem scribimus, dum in verbis pugna est, dum de novitatibus quæstio est; dum de ambiguis, dum de Autoribus querela est: dum de studiis certamen est: dum in consensu difficultas est: dumq; alter alteri anathema esse cœpit; prope jam nemo est Christi. Proximi anni fides quidimmutationis habet? Primum decretum Homousion decernit tacere; sequens rursus Homousion decernit & prædicat: tertium Usiam simpliciter à Patribus præsumtam per indulgentiam excusat: quartum non excusat, sed condemnat. Tandem eò perventum est, ut neq; penes nos, neq; penes quenquam ante nos, sanctum exinde aliquid atq; inviolabile perseveret. Annuas atq; menstruas de Deo fides decernimus; decretis pœnitemus; pœnitentes defendimus; defensos anathematizamus; aut in nostris aliena, aut in alienis nostra damnamus, & mordentes invicem jam absumti sumus.*

Hæc quæ jam adducta sunt, satis monstrant, primævam Ecclesiam pristinum deseruisse pietatis fervorem, & tam in Doctrinâ, quàm Vitâ descivisse ab Apostolicâ puritate. Quanti enim irrepserint errores, mox etiam post Apostolorum tempora, is perspicuè videre poterit, qui primorum Patrum Scripta ad lydium Sacræ Scripturæ lapidem candidè & liberè affricuerit: ita ut verè hoc loco de illâ apostasiâ conqueratur Spiritus Sanctus. *Nec enim diu Virgo permansit Sponsa illa Christi, sed traditionibus humanis sensim commaculata est*, ut apud *Eusebium Egesippus Lib.* III. *Histor. Eccles. Cap.* 32. conqueritur.

Sequitur ergò: *Memor esto itaq; unde excideris & age pœnitentiam, & prima opera fac: sin autem, venio tibi, & movebo candelabrum tuum de loco suo, nisi pœnitentiam egeris.* Μνημόνευε οὖν πόθεν ἐκπέπτω-

πέπτωκας, καὶ μετανόησον, καὶ τὰ πρῶτα ἔργα ποίησον· εἰ δὲ μή, ἔρχομαί σοι τάχυ, καὶ κινήσω τὴν λυχνίαν σου ἐκ τοῦ τόπου αὐτῆς, ἐὰν μὴ μετανοήσῃς.) Hæc facilia sunt intellectu nec indigent explicatione aliquâ: Continent autem adhortationem ad pœnitentiam, & perseverantibus in impietate denunciant pœnam amissionis Verbi divini, simulque gratiæ salvificæ. Hoc tamen notandum, Adhortationes, comminationes, & promissiones, his septem Ecclesiis factas, omnes omninò omnium temporum & locorum attinere Ecclesias. Ratio enim in promtu est: quia tantùm unica est Ecclesia, per diversa tempora locosque continuata. Hinc quæcunque Ecclesia à primitivâ charitate & pietate descivit, ea ad pœnitentiam hac seria adhortatione invitatur, simulque, nisi pœnitentiam egerit, timere habet, ne justo Dei judicio ab illâ Verbum Dei penitùs auferatur, quod per amotionem Candelabri hoc loco innuitur. Notandum etiam prætereà; Comminationes demum subsequentibus seculis & periodis impleri, & sic etiam loco prædictionum esse: quod clarè patet, si singulas accurate considerabimus. Certè subsequenti seculo seu Periodo, per invalescentem Saracenismum, Candelabrum Verbi sui penè ex totâ Oriente sustulit Deus.

Nicolaitæ. Pergit: *Sed hoc habes, quia odisti facta Nicolaitarum, quæ & Ego odi.* Ἀλλὰ τοῦτο ἔχεις, ὅτι μισεῖς τὰ ἔργα τῶν Νικολαϊτῶν, ἃ κἀγὼ μισῶ.) *Nicolaitas* hæreticos fuisse, *à Nicolao Diacono* ortos, ex *Irenæo, Lib.* III. *advers. Hæres. cap.* 11. multi statuunt; sed *Clemens Alexandrinus Strom. Lib.* III. *mihi in Græco Exempl. pag.* 187. *in Latino verò pag* 204. hunc *Nicolaum* excusat, & *Carpocratianos* falsò ipsum suæ sectæ Autorem prætexere, ejusque verba alioquin benè dicta in malignum rapere sensum, quemadmodum & ipsius Domini verba; uti Exemplum refert *pag.* 205. Nec erubuerunt isti scelerati etiam *Matthiam* Apostolum suæ sectæ addictum esse insimulare, uti *loco cit.* habet Autor. Quin familiare fuit hæreticis, vel ipsos Apostolos, vel Apostolicos Viros suæ sectæ laudare Autores, ut patet ex *Clemente Alexandr. Stromat. Lib.* VII. *m. in græc. pag.* 325. *in lat. pag.* 354. ubi dicit, gloriari Valentinum, Marcionem, & Basilidem se Matthiæ opinionem adducere. Credemusne autem propterea, quia isti Hæretici dicunt, Matthiam Apostolum

factum fuisse hæreticum? Minimè! Idem & huic Nicolao accidere potuit. Credo Ego Spiritui Sancto in *Actis Cap.* VI. *v.* 5. hunc Nicolaum à pietate commendanti; quod testimonium Scripturæ an Irenæi incusatione tolli queat, valdè dubito, hac præsertim Clementis excusatione accedente. Quid autem, si nomen *Nicolaitarum* vel ex hoc ipso loco Apocalypseos malè intellecto ortum duxisset? Quicquid tamen sit de illo vel Nicolao, vel Nicolaitis, hoc tamen certum est, hoc in loco allegato de iis Hæreticis, qui aliàs Carpocratiani fuerunt, non agi: sed nomine hoc proprio, ex more & consuetudine hujus Vaticinii, aliò respici. Per *Nicolaitas* enim intelligit Spiritus S. R*omanos* sive *Ethnicos*, tum fermè universo mundo dominantes: horum opera se odisse affirmat Christus, uti & reverà odio habet, & à quibus primitiva Ecclesia maximè abhorruit: ut ita ad *Etymon* vocis attendendum sit. Nec primus sic sentio: jamdudum enim *Arabica Versio* hunc locum sic reddidit: אעמעל אלשעוב *Opera gentium*, referente *Hottingero in Analect. dissert.* VI. *p.* 274. Hæc autem expositio magis clarebit, cùm posteà *infrà* de Pergamensi Ecclesiâ sermo erit, *Cap.* X.

Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis.) Hoc additum Epiphonema monet, plus hoc loco describi, quàm Ecclesiæ particularis fatum, simulque, quod etiam antea monui, & comminationes & promissiones omnes omninò omnium temporum & locorum Ecclesias attinere.

Sequitur promissio Vincentibus proposita: *Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod est in Paradiso Dei mei.*) Respicitur hîc ad locum *Gen.* III *v.* 23. ubi narratur, Protoplastos nostros propter commissum crimen comestionis de Arbore vetitâ, è Paradiso ejectos esse, ne etiam de *Arbore Vitæ* comederent, & viverent in æternum. *Arbor* autem *Vitæ* figurat *Christum*, *Viam, Veritatem, & Vitam Joh.* XIV. *v.* 6. Et sensus horum Verborum est: Eos, qui Carnis suæ desideria, Satanæque fraudulentiam, ne ab illis, ut Eva, seducantur, vincent, non ejectum iri ex Ecclesiâ, quæ est Paradisus Dei, sed illos, mediante Verbo & Sacramentis, de Ligno vitæ comesturos, hoc est, Christo unitos fore per fidem, perque illum vitam æternam consecuturos; utpote qui ea, quæ Adamus lapsu suo perdiderat, sanguine suo pretioso restituit, illaque credentibus & in fide perseverantibus donat.

Et

Et hæc de Epistolâ Primâ dicta sunto.

Sigillum Primum.

Sequitur nunc *Sigillum Primum,* quod his verbis *Apoc.* VI. *v.* 1. 2 3. describitur: *Et vidi, quòd aperuisset Agnus unum de septem Sigillis,& audivi unum de quatuor Animalibus,* (ἑνὸς ἐκ τῶν τεσσάρων ζώων, unum vel primum ex quatuor Animalibus) *dicens tanquam vocem tonitrui, Veni & Vide. Et vidi, & ecce Equus albus,& qui sedebat super illum,habebat arcum,& data est ei Corona,& exivit vincens ut vinceret.*

Quid tempore *primi Sigilli*, seu sub periodo primâ fieri debuit in Ecclesiâ hac Visione adumbratur. Varii autem hîc varia afferunt, & nonnulli etiam satis coacta & ridicula. Prudentiores tamen interpretes communi suffragio per hunc *Equitem*, *Christum* intelligunt, & rectè quidem. *Christus* enim est qui Prophetæ *Zachariæ Cap.*I. *v.* 8.9.10. ostenditur *inter myrteta equitans super Equum rufum, quem sequuntur Equi rufi varii & albi. Regnum* itidem *Christi* figuratur per *Quadrigas quatuor* apud eundem *Prophetam Cap.*VI *v.* 1.2.3. *Equis rufis, nigris, albis, & variis tractas* : ad quæ Vaticinia, hoc & sequentibus tribus Equitibus, alludi nullum est dubium. Dabitur autem *infra* occasio hæc Vaticinia Prophetica *Zachariæ* plenius explicandi : *hoc loco*,quia saltem *unus Eques albo equo inequitans* introducitur,potissimum ad Vaticinium *Psalmi* XLV. respici dicimus, ubi Propheta Messiam,ut Heroem in prælium euntem alloquitur, eumque ut Regem describit : *Accingere gladio tuo super femur tuum,potentissime specie tuâ & pulcritudine tuâ : intende prosperè,procede & regna propter veritatem & mansuetudinem & justitiam, & deducet Te mirabiliter dextera tua. Sagittæ tuæ acutæ,populi sub te cadent,in corda inimicorum Regis. Sedes tua Deus in seculum seculi,virga directionis, virga regni tui.* Unde patet,cur huic Equiti & *Arcus*, & *Corona* tribuatur; *Arcus* enim militem & bellatorem; *Corona* Regem; *Equus albus*, juxta puritatem, etiam felicitatem & victoriam notat. *Sensus* igitur est :tempore *Sigilli primi* impletum iri hoc Davidis Vaticinium, proditurum Christum Victorem Diaboli, mortis, & inferni è Sione, ut porrò vinceret Mundum & Tyrannos non uno modo. *Eventus* etiam huic Vaticinio respondet. Vicerat enim Christus moriendo Diabolum, peccatum & mortem, resurgendoq; & ascendendo in cœlos Captivitatē captivam duxerat,& de principatibus triumphaverat, & sic vincens prodierat, sed ut porrò vinceret (uti geminatio verbi in Textu habet) nem-

nempe ut vincerem Mundum per prædicationem Apostolorum, & vicit etiam, Gentes ad fidem Evangelii adigens. Et licet infensissimos experiretur in Corpore suo mystico hostes, potissimùm corda Regum, vicit tamen persecutores & Tyrannos, partim constantiâ Martyrum, quorum sanguine obsignata fuit Veritas, & propagata Ecclesia; partim interitu Hostium, & pace restitutâ Ecclesiæ; ut ominis & explicationis loco possit esse illa *Juliani Apostatæ* blasphema & coacta confessio: *Vicisti tandem Galilæe!* quâ felici clausulâ sub finem fermè hujus Periodi terminatæ sunt persecutiones Ethnicæ. Verè itaque vicit, non solùm Tyrannos vel evertens, vel convertens; sed & idola & fictitia gentium numina depellens, illorumque cultus & templa diruens. Respondet itaque, ut dixi, eventus prædictioni.

Sed hoc difficilius intellectu in hac Visione reperitur, quid nimirum *Animal illud primum, voce tonitrui, Johannem ad attentionem invitans*, sibi velit. *Leoninâ facie* fuisse scimus ex *Cap.* IV. *v.* 7. & non improbo explicationem, quæ dicit, notari Leoninam Majestatem Apostolorum, Virorumque Apostolicorum, qui magnâ autoritate, multâque efficaciâ Verbi divini, ceu sagittis acutissimis, & arcu potentissimo, hanc victoriam hujus Equitis coronati prosecuti sunt: malim tamen, hoc Animal Leoninâ gaudere facie, propter Leonem de tribu Juda hoc tempore primum prodeunte. Res tamen fermè eodem recidit: Apostolica enim illa Majestas, robur & vis Verbi huic Leoni in acceptis ferenda sunt.

Dixi autem *superius Cap. sexto*, per *Quatuor Animalia* repræsentari *totam Novi Testamenti Ecclesiam*, id quod ex prædicatis ibidem demonstravi: Ex quo asserto consequitur, quodlibet Animal sexcentos continere annos, quod huic Visioni *Apoc.* VI. descriptæ repugnare videtur. Si enim primum Animal continet annos sexcentos, non tantùm Periodum unam exhibet, sed ferè duas; tertium verò Animal tertium Sigillum Synchronismo nequaquam atinget (ut computanti facile est videre), multò minus quartum: quomodo itaque his convenire possunt verba illa: Veni & vide: quæ verba utique ostendunt, hæc ipsa Animalia suo tempore res gerendas, ad quæ invitant, datura esse spectandas? Sed moneo *Lectorem*, ut consideret, unde Johannes Evangelista hæc

quatuor Animalia ſit mutuatus, & reperiet, illa quidem ex diverſis locis Biblicis, (unde & diverſa Vaticinia reſpiciunt) potiſſimum tamen ex *Ezechiele, Cap.* I. *&* IX. eſſe petita; ubi ſingulis Animalibus tantùm quatuor Alæ tribuuntur, quæ totidem centenarios annorum exhibent. Juxta igitur hunc *Ezechielis* computum, qui huc pertinet, uti repetitio Apocalyptica monet, bellè huic Viſioni convenit cum Animalibus. Quando enim primum Animal clamat: *Veni & vide*: notatur, currente primâ hac ætate, quæ juxta Ezechielem, quatuor exhibet ſecula, hæc futura eſſe, quæ ſub Sigillo primo prophetata ſunt: & ſic etiam de reliquis ſentiendum; Ultimum enim Animal, juxta Ezechielis computum, de quarto Sigillo centum & ſeptuaginta duos annos participat, licet illud ducentis & viginti octo annis ſuperet; nihilominus tamen rectè dicere poteſt: Veni & vide. Hoc igitur loco Animalia illa *absq; Rotis*, ut Ezechiel habet, ſumuntur: advertat enim *Lector*, apud Ezechielem, Animalibus, quatuor Rotas adjungi, *Oculis* illuſtres, quos *Oculos* Johannes noſter in *Alas* tranſtulit, & alas in ſingulis binario multiplicavit. Hoc autem cur factum ſit, & quid notet, *infra*, ubi penitius hæc animalia contemplabimur, σὺν θεῷ indicabitur. Simpliciſſimè hac animalium acclamatione notatur: primo Sigillo primam Eccleſiæ Ætatem, ſecundo ſecundam, tertio tertiam, quarto quartam, & ſic deinceps fluere, ut hac interſtinctione diſtinctio Periodorum innuatur.

Nec hoc gratis additur, quòd *Voce tonitrui* locutum ſit Animal: indicatur enim, aperto Sigillo primo, loqui tonitrua primùm vocem ſuam, quod probè notandum: *infra* enim ſub ſexta ætate hæc majorem accipient lucem.

Et tantum etiam de Sigillo primo.

Tubicinium primum.

Jam *Primam* quoque *Tubam* conſiderabimus: quæ nobis *Cap.* VIII. *v.* 7. deſcribitur his verbis: *Et primus Angelus tubâ cecinit, & facta eſt grando & ignis, myſta in ſanguine: Et miſſum eſt in terram, & tertia pars terræ combuſta eſt, & tertia pars arborum concremata eſt, & omne ſœnum viride combuſtum eſt.* Ante omnia diverſitas Lectionis notanda eſt: *Complutenſe Exemplar*, quod *Arias Montanus* ſequitur habet: ϰὴ τὸ τρίτον τῆς γῆς κατεκάη, *& tertia pars terræ combuſta eſt*, (ſicut & *Vulgata* habet) omittit autem illa verba, ϰὴ τὸ τρίτον τῶν δένδρων κατεκάη, *& tertia pars Arborum exuſta eſt. Beza* econtra omit-

tit

tit illa verba: ϗ τὸ τρίτον τῆς γῆς κατεκάη: & hæc ponit: ϗ τὸ τρίτον τῶν δένδρων κατεκάη. *Cluverus* autem cum *Vulgatâ* utramque lectionem conjungit; ut hîc ambigendum ſit quænam ſit genuina & vera? Meminiſſe debebant comminationis ad calcem hujus Libri additæ, qui vel addiderunt, vel demſerunt temerè. Credo tamen, Verba illa: ϗ τὸ τρίτον τῆς γῆς κατεκάη: adulterina eſſe, & ſaltèm in gratiam Vulgatæ Verſionis addita; unde & à *B. Luthero* in germanicâ Verſione omiſſa ſunt: quare nec Ego ad illa attendam, quanquam addita meæ Explicationi vix quicquam incommodi adferant.

De *Senſu* autem hujus Vaticinii variant Interpretes, & quisque ſuam ſententiam optimam eſſe putat. Candidè tamen & modeſtè *Kromayerus*: *Si Analogiæ Fidei conveniant Explicationes*, inquit, *nullam rejicimus: illam tamen concinniorem, quæ literæ, collationi phraſium, & ſimilium Viſionum, ſcopo & complemento eventûs congruit, putamus.* Sic eſt! Studendum tamen, ne Senſum tantùm opinativum, utut analogiæ Fidei haud contrarium, ſed qui ratione principii & ex intentione Revelantis ſit divinus, eruamus.

Supra autem liquidò probavi, Primum Tubicinium incipere ab effuſione viſibili Spiritus Sancti ſuper Apoſtolos, & continere ſeptimam partem totius Periodi Novi Teſtamenti, nempe annos 343. ut ita ſatis conſtet, ad quæ tempora Spiritus S. hoc vaticinio reſpiciat. Quò autem facilius ejus mentem percipiamus, morem huic prophetiæ familiarem attendamus, qui eſt, ad Veteris Teſtamenti typos & hiſtorias reſpicere, ſuoque inſtituto & propoſito accommodare, quod etiam hoc in loco facit. Legimus enim *Exod. Cap.* IX *v.* 22. ad 25. hæc verba: *Et dixit Dominus ad Moſen, extende manum tuam in cœlum, ut fiat grando in universâ terrâ Ægypti, ſuper homines & ſuper jumenta, & ſuper omnem herbam agri in terrâ Ægypti. Extenditq; Moſes virgam in cœlum, & Dominus dedit tonitrua & grandinem, ac diſcurrentia fulgura ſuper terram: pluitq; Dominus grandinem ſuper terram Ægypti. Et grando & ignis miſta pariter ferebantur: tantæq; fuit magnitudinis, quanta ante nunquam apparuit in universâ terrâ Ægypti, ex quo gens illa condita eſt. Et percuſſit grando in omni terrâ Ægypti cuncta, quæ fuerant in agris, ab homine usq; ad jumentum: cunctamq; herbam agri percuſſit grando, & omne lignum regionis confregit.* En! convenientiam hujus Hiſtoriæ cum Vaticinio noſtro, cum no-

tabili tamen diversitate! Convenientia est, quòd grando & ignis pariter mista feruntur in terram: diversitas est, sanguis mistus: quanquam nec grando Ægyptiaca absque sanguine fuit: perierunt enim & jumenta, & Homines multi. Ibi confractum est omne lignum; hîc tertia saltem pars arborum combusta est: omnem herbam agri ibi grando percussit, hîc verò ignis exussit. Quemadmodum igitur Deus Israelitas ex Ægyptiacâ servitute educturus hanc Grandinem in terrorem hostium, & solatium populi sui terræ Ægypti immisit: ita per Christum nos educens ex æternâ servitute, hanc tempestatem, Majestatis suæ indicem, grandine Verbi & igne Spiritûs mistam, in terram misit: quæ diversos edidit effectus pro diversitate Objecti. *Grando* enim nihil aliud est, quàm imber congelatus, qui posteà liquescit, simulque terram irrigat & fœcundat; sibi verò resistentia percutit & impetu suo confringit: ita *Verbum Dei, & prædicatio Evangelii* hostes consternit, impietatem confringit, saxea corda percutit; pios verò & fideles irrigat & fœcundat. Nihil ergò aliud hac grandine innuitur, quàm admirandus prædicationis Apostolicæ per integram illam Periodum effectus: & omnia bellè *Eventui* respondent. Expendenda venit 1. *Hostium percussio seu consternatio*, totiusq; Idolomaniæ Ethnicæ extirpatio, quæ sanè non vi, non gladio, aut potestate seculari abolita est, sed hac admirabili prædicationis grandine. Noti sunt versus ab *Apollinis Oraculo* Augusto Cæsari dati:

Me Puer Hebræus divos Deus ipse gubernans
Cedere sede jubet, tristemq; redire sub Orcum:
Aris ergò dehinc taciti discedite nostris.

Quæ coacta confessio Satanæ satis superque satis de insigni efficaciâ Verbi, quod procellæ instar impietatem gentilem prostravit, testari potest. Certè tristissima hæc fuit grando Ethnicis, illorumque cultui & Oraculis. 2. *Sanguinis mistio*: Sanguis nihil aliud quàm persecutiones & martyria notat. *Grandine* enim prædicationis irritati Ethnici, quia ipsorum *segetes*, sacrificulorumque *messes* percussit, atrociter in Christianos sævierunt, multumque sanguinis innoxii effuderunt, quod notius est, quàm ut prolixâ opus habeat probatione. 3. *Omnis fœni viridis combustio.* Quid per *Fœnum viride* intelligatur, probè dispiciendum; hoc enim agnito, facile erit combustionem, &

& ignem comburentem dijudicare. Hoc ergò Fœnum viride aut *Omnes* homines, aut omnes Impios, aut omnes Fideles notat: nota enim universalitatis hîc pressè retinenda est. Non autem *omnes Homines* hîc possunt intelligi, quia qualisqualis etiam statueretur combustio, non tamen illa de Omnibus hominibus prædicari possit. Neque *omnes Impii*, aut hostes Evangelii per *Fœnum* hoc loco figurantur; quia tum per *ignem*, ut nonnulli volunt, *ignis iræ divinæ* in pœnis temporalibus se exerens, intelligi deberet: ast nec omnes Evangelii hostes, imò vix minor pars illorum, pœnis temporalibus coërciti sunt. (de *igne* enim *æterno & infernali* hîc non est sermo), & præterea si per *fœnum* impii intelligerentur, quomodo exponeremus *combustionem tertiæ partis arborum*? Reliquum ergò est, ut per *Fœnum Viride Omnes Fideles*, ad Christum prædicatione Verbi conversi, intelligantur: utpotè qui *gramini* comparantur in insigni illo Vaticinio de Messia prophetante II *Sam*. XXIII. v. 4. *Sicut lux Auroræ oriente Sole, mane absq; nubibus rutilat, & sicut pluviis germinat herba de terrâ. Fœnum* verò vocantur, ut doceatur, quales ante conversionem fuerint, nempe *aridum fœnum*, in clibanum æternæ damnationis conjiciendum, *quia caro erant*; *Esa*. XL. 7. *per sufflationem autem Spiritus Domini, viride gramen facti*, in holocaustum comburendi. Unde divus *Petrus* hoc ipsum *Esaiæ* vaticinium, de conversione Gentium per Verbum evangelisatum exponit, quando inquit I. *Pet*. I. v. 23. 24 25. *Renati estis non ex semine corruptibili, sed incorruptibili, per Verbum Dei vivi & permanentis in æternum. Quia omnis Caro ut Fœnum, & omnis gloria ejus tanquam flos fœni: exaruit fœnum & flos ejus decidit. Verbum autem Domini manet in æternum: hoc est autem Verbum, quod evangelisatum est in vobis.*

Per *Ignem* itaque *ignis Verbi divini, seu Spiritus* (ut aliàs sæpè in hoc libro) hoc loco intelligitur; qui sanè cum grandine prædicationis, quæ Fidelibus salutaris fuit irrigatio, & ad germinandum fœcundatio; (compunctio cordis, & animæ timor *Actor*. I.) impiis verò consternatio, confractio, & odor mortis ad mortem, cœlitus descendit, & Verbo obedientes Deo in suavissimum & sanctissimum sacrificium comburit. Exhibent enim Sancti *Corpora sua Hostiam viventem, sanctã, Deo placentem, Rom* XII, 1. Non itaq; de pœnis horrendis & gravissimis hæc grando & ignis accipienda sunt, ut opinatur *Rava-*

nellus; ſed potiùs de ſalutari & potentisſimâ Evangelii prædicatione inter gentes, rectè exponitur; quod ex Objecto comburendo, cui Univerſalitatis nota præfigitur, concludere neceſſum habemus. Clareſcet autem tum magis, cùm *infrà Caput* XII. *Apocal.* cum locis parallelis, nimirum *Eſa.* XXX. *&* *Ezech.* XXXVIII. ubi ſimilis *Grando* deſcribitur, explicavero. *Ignem veni mittere in terram*, inquit Salvator noſter *Luc.* XII *v.* 48. *& quid volo, niſi ut accendatur.* O ter itaque, terque quaterque beati, qui hoc igne ſacro Deo in holocauſtum combuſti ſunt! Senſus itaque idem eſt, ac is, qui verbis planisſimis *Actor.* XIII. 48. profertur: *Audientes autem gentes gaviſæ ſunt, & glorificaverunt Verbum Domini, & crediderunt, quotquot erant præordinati ad vitam æternam.*

Nec quicquam hîc valet *Cluveri* allata ratio: nihil attinere obſcuris adeò Verborum ænigmatibus prophetare, quæ jam tum, tempore ſcriptionis hujus Libri clarisſimè erant impleta: quia his ænigmatibus ſtudiò Johannes, ſive Spiritus S. utitur: 1. ut remittat nos ad Vaticinia Veteris Inſtrumenti, & hoc loco præſertim, ad tot in ſacrificiis uſitatas combuſtiones. 2. ut Analogiſmum Eccleſiæ Veteris & Novæ oſtendat. 3. ut ſub hoc velamine obſignata maneret Apocalypſis ad tempora usque conſtituta, quia potisſimùm ob *quintam & ſextam Ætatem* illa conſcripta eſt: unde etiam priores Periodi tam paucis lineis deſcribuntur, ſaltem in hunc finem, ut connexio aliqualis detur, & ex Harmoniâ totius Vaticinii certior deinde reſultaret expoſitio: ubi verò prænominatas periodos attingit, uberiori eas depingit ſtylo & filo. 4. ut ſimul quid futurum eſſet vaticinaretur: licet enim tum temporis hæc jam impleta erant, impleta tamen erant ſaltem ex parte, Prophetia namque monet, hanc ipſam impletionem per integram Periodum eſſe continuandam. Quid quod *combuſtio Arborum* futuris domum, & ſequioribus à ſcriptione hujus libri ſeculis, maximam partem erat implenda.

Quartò enim expendatur neceſſe eſt *Arborum tertiæ partis combuſtio.* Cur non *Omnes arbores* combuſtæ dicuntur, ſicut dicitur, *Omne Fœnum viride combuſtum eſt?* Certè ratio diverſitatis monet, determinationem Numeri non indiſcretam aliquam multitudinem notare, ſed ex ſingulari Spiritûs Sancti conſilio additam eſſe, quò quid

quid futurum esset, eò magis pateret, & illustrius hoc fieret Vaticinium, utque illius sensum citiùs assequeremur. *Arbores* autem in Sacris *Homines Nobiles*, potentes, sapientes, & magnos, itemque Reges figurant, ut ex *Daniele, Cap.* IV. & *Ezech.* XXXI. præsertim *vers.* 16. claret. *Sensus* itaque est: etiam *tertiam partem Magnatum, potentum & sapientum* hac periodo Christo manus daturam, præsertim sub tertio hujus Periodi seculo: quod & *Eventus* ostendit. Mox enim sub initium quidam proceres Romani Christianismo accesserunt, qualis erat *Cornelius Centurio Actor.* X. & *Sergius Paulus Act.* XIII. Ast seculo tertio uberior messis horum Nobilium & Sapientum Christo collecta est, quàm sub initium, licet & illud non omninò sterile fuerit; Quin ipsi *Imperatores*, & omne quod honoratum esse voluit, sub finem hujus Periodi Christianam professi sunt Religionem. Audiamus *Eusebium Histor. Eccles. Lib.* VIII. *Cap.* I. *Etenim ante nostri temporis persecutionem* (loquitur de persecutione Diocletianâ) *quàm mirabiliter quàm magnifice per universum Mundum Sermo Christi, & pietatis doctrina profecerit, & in quantum sublimitatis ascenderit, commemorare vires nostras superat. Nosci tamen & ex hoc possibile est, quòd aliquanti ex Principibus Romanis, & facultatem regendi provincias, jurisq; dicendi Nostris præbebant: & Conjugibus, & ministris, atq; universæ domui suæ non solum credere in Dominum Jesum Christum, verùm etiam cum omni fiduciâ & libertate in fide, agere sinebant: ita ut illos sibi fideles & familiares ducerent, de quibus certi erant, quòd pro fide Christi nihil perfidè saperent. Sicut fuit opinatissimus ille Dorotheus in cubiculo Regum, qui propter fidem Domini fidelissimus in omnibus habebatur: unde & cunctis præferri honore meruit & amore. Cum quo & Gorgonius, cæteriq; cum ipsis in Domino fideles, vel qui intra Palatium in summis honoribus erant, vel qui ad provincias gubernandas præferri cæteris fidei contemplatione merebantur.* Huic testimonio Eusebiano eò libentiùs credimus, quia etiam *Paulus Apostolus* jam suo tempore *quosdam de Cæsaris domo* credidisse testatur, dum ad *Philipp.* IV. 22 scribit: *Salutant vos, qui mecum sunt Fratres: salutant vos omnes Sancti, maximè autem qui de Cæsaris domo sunt.* Unde patet, licet juxta effatum Pauli I. *Corinth.* I *v.* 26. *Non multi Sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi Nobiles vocati sint; sed quæ stulta sunt, ele-*

gerit Deus: attamen Deum etiam *quosdam*, juxta Davidicum illud *Psalm.* XXII. *ex pinguioribus* adduxiſſe ad Chriſtum: quorum Numerus ab omniſcio Deo, in comparatione ad reliquos Nobiles & potentes in impietate & gentiliſmo perſiſtentes, *ad tertiam partem* reducitur: quem immutare nefas ducimus.

Et hæc de primâ Ætate ſeu Periodo dicta ſufficiant!

CAPUT IX.
Secundam Periodum expendit, & Viſiones ad eam pertinentes exponit.

S*myrnam* nos jam conferimus, & *Secundam Eccleſiæ Ætatem*, ſeu *Jubileum Angelicum ſecundum* contemplabimur, quod ibidem Annos trecentos quadraginta tres continet, quemadmodum & reliqua; & incipit *Anno Æræ Chriſtianæ 376tô*, & exit Annô 718vo *ejuſdem Æræ*. *Pertinent* autem ad hanc Periodum, *Epiſtola ad Smyrnenſes* exarata; *Sigillum ſecundum*; & *Tubicinium ſecundum*; *Fluvius* deniquè *ex ore Draconis in perniciem Mulieris emiſſus*, in hæc tempora incidit: ſed de hoc Satanæ vomitu agetur, ubi integram Viſionem *ſub ſextâ Ætate* luſtrabimus: Nunc *Epiſtolam, cum Sigillo, & Tubicinio* pro poſſe explicabimus.

Epiſtola Smyrnenſis. *Epiſtola* habetur *Cap.* II. *à v.* 8. *ad* 11. *Et Angelo Smyrnæ Eccleſiæ ſcribe.* Καὶ τῷ ἀγγέλῳ τῆς ἐκκλησίας Σμυρναίων γράψον.) *Septem Angelis* totam Eccleſiam Novi Teſtamenti figurari, *ſupra Cap. ſexto* fusè probatum eſt: ex horum numero etiam hic eſt *Smyrnæus*, & quidem *Secundus*. Unde non ad *Polycarpum*, aut aliquem alium ſive Epiſcopum, ſive Doctorem, quod volunt Interpretes; ſed ad omnes omninò iſtius ævi Chriſtianos, tam Auditores, quàm Doctores hæc Epiſtola eſt conſcripta.

Smyrna

Smyrna equidem Colonia est Ephesiorum, circiter trecenta & viginti stadia ab Epheso Septentrionalior; ab Amazone ejus nominis condita esse fertur; & adhuc hodiè superest; nobile Emporium, ubi Angli, Batavi, aliæque Nationes, commerciorum gratiâ suos Consules habent. Sed hæc nihil ad nos: alia enim, & longè diversa ab illâ, seu veteri, seu hodiernâ *Smyrnâ*, hic nobis sistitur; integra nimirum Ecclesiæ Periodus. *Etymon* ergò vocis spectandum, quod *Myrrham* notat; quæ bellè admodùm Ecclesiæ, crucem & persecutiones redolenti, propter amaritiem, eamque salutarem & pretiosam, applicatur: quod eò magis credemus, si ea, quæ *v. 10.* de afflictione hujus ævi Christianis perpetienda prophetantur, accuratè consideraverimus.

Hæc dicit primus & novissimus, qui fuit mortuus, & vivit. Τάδε λέγει ὁ πρῶτος, καὶ ὁ ἔσχατος, ὃς ἐγένετο νεκρὸς καὶ ἔζησεν.) Tituli Salvatoris his Epistolis præfixi, non otiosâ aut vanâ variatione superbiunt, sed singulare quidpiam, ad fatum illius Ecclesiæ, cui præfiguntur, spectans continent. Ut hoc loco: Manebant Angelum Smyrnensem gravissima de fide certamina: Si enim unquam, hac maximè periodo in dubium vocata fuit *Æternitas Filii Dei, & ejus cum Patre* ὁμοουσία: Hanc igitur hoc Titulo, ex *Esaiæ* XLI. 4. & *Cap.* XLIV. 9. itemque XLVIII. 12. desumto, assertam voluit: & ut de *Christo* hæc verba loqui nemo ambigere posset, quod nec *Enjedinus* negare ausus est; addit: ὃς ἐγένετο νεκρὸς, *qui fuit mortuus.* Ut autem distinctas duas Naturas cognoscas, emphaticè dicit, non ζῇ *vivit*, sed ἔζησεν *vivus fuit*; quo ostendat, etiam tum, cum esset mortuus, se vixisse, & carnem habuisse vivificam. Hæc itaque inscriptio & Arrio, & Nestorio, & Muhammedi, cæterisque ejus furfuris Hæreticis, hac Ætate exortis, cornua obvertit, & ad illorum blasphemias retundendas arma subministrat validissima.

Scio tribulationem tuam, & paupertatem tuam, sed dives es.) Omittit hìc *Vulgata* hæc Verba: οἶδά σου τὰ ἔργα· *novi opera tua*) nempè tàm mala, quàm bona: nec enim ἀναμάρτητος, aut etiam officio & vitâ ἀνεπίληπτος hic statuendus est Angelus, licet nulla in hac Epistolâ expressa & evidens contineatur Vituperatio. Accusatio enim illa superiori Ephesinæ objecta, quòd nimirum pristinam charitatem reliquerit, tantum abest, ut hanc succedentem *Smyrnaam* non feriat, ut potiùs de ejus *Paupertate* conqueratur Spiri-

tus S. nimirum de *paupertate spirituali*: utut enim etiam divitem illam proclamet, ratione & respectu diversorum Subjectorum id fieri censendum est. *Sensus* itaque horum verborum est: Magnam hoc ævo penuriam esse piorum & Deo placentium, tum ob jam superiori ætate intermorientem Charitatem, cùm ob hac ipsâ periodo ingruentem Hæresin & afflictionem: eos tamen, qui fideles perstiterint, verè divites esse censendos, utpote multâ cruce & calamitate probatos & spectabiles redditos. Quemadmodum etiam hæc ipsa Ætas excellentissimos Veritatis propugnatores, quorum magnam nubem *Centuriatores Cent.* IV. V. VI. VII. *Cap. de Doctorib.* recensent; ut de Martyribus, etiam hac tempestate nobilibus, taceam, nobis sistit.

Et blasphemaris ab his, qui se dicunt Judæos esse, & non sunt; sed sunt Synagoga Satanæ. καὶ τὴν βλασφημίαν τῶν λεγόντων Ἰουδαίους εἶναι ἑαυτοὺς, καὶ οὐκ εἰσὶν, ἀλλὰ συναγωγὴ τοῦ σατανᾶ.) De *Judæis* Polycarpo infestis hæc verba exponunt Interpretes: sed nihil est. Non tanta erat post excidium Hierosolymitanum *Judæorum* Autoritas, ut gloriosum putaretur, præsertim apud Christianos, *Judæum* esse, ita ut ementita assertio blasphemiæ loco haberetur. Non blasphemat Judæus, se *Judæum* hodiè dicens, licet non sit verus *Judæus* secundùm Spiritum, *Judæus* tamen est secundum carnem. Meminisse debebamus, hunc librum; *Apocalypsin* merè typicum & allegoricum esse: unde quemadmodum *supra* hæreticos *Pseudo Apostolos* vocat (viventibus scilicet Apostolis ortos;) ita hos sequiori ætate prodeuntes, cum adstipulatoribus suis, pseudojudæorum nomine indigitat, & è Satanæ synagogâ prodiisse denunciat, quò ab ipsorum imposturis & corruptelis caverent sibi pii, neque speciosâ gloriatione, quæ Seductoribus valdè familiaris est, fallerentur, accedente præsertim dirâ persecutione. *Blasphemare* dicuntur hi *Pseudo judæi, seu pseudo-doctores*, & falsi Christiani: blasphemum enim est, negare Divinitatem Christi cum *Arrio*: blasphemum, sanctam Virginem cum *Nestorio* negare dici posse *Deiparam*, Christumque nihil aliud quàm Carnem esse, in qua tanquam in Prophetâ, Deus habitaverit, affirmare. Blasphemum est, cum *Eutyche* unionem Naturarum in Christo negare, & ambas in unam Naturam permixtas & contemperatas esse asserere: blas-

blaſphemum eſt, cum *Pelagio* primi Peccati gravitatem extenuare, hominemque ſui Dominum ita conſtituere, Arbitrioque tantam libertatem affingere, ut Gratia Dei ad bonos actus non judicetur neceſſaria. Hæc inquam ſatis blaſphema ſunt, etiamſi de aliis hæreticis hoc ævo furentibus, & Eccleſiam vexantibus nihil dicatur. Et tamen omnes volebant videri & haberi pro veris Judæis ſecundum Spiritum, hoc eſt pro veris Chriſtianis; quin hunc Titulum ſibi ſolis competere gloriabundi jactitabant; quemadmodum *Donatiſtæ*, teſte *Auguſtino*, faciebant, qui, *in toto mundo Eccleſiam defeciſſe, apud ſe ſolos tantùm permanſiſſe in Africâ*, impudenter garriebant. Elogium autem, quale merebantur, hoc loco ipſis tribuit Spiritus Sanctus, *Synagogam Satanæ* eos vocando.

Nihil horum timeas, quæ paſſurus es: ecce miſſurus eſt Diabolus aliquot ex vobis in carcerem, ut tentemini; & habebitis tribulationem diebus decem.) Μηδὲν φοβοῦ ἃ μέλλεις πάσχειν· ἰδοὺ μέλλει βαλεῖν ἐξ ὑμῶν ὁ διάβολος εἰς φυλακὴν, ἵνα πειρασθῆτε, καὶ ἕξετε θλῖψιν ἡμερῶν δέκα.) Hæc verba oſtendunt, non ad *unum aliquem ſolum*, putà *Polycarpum*, hanc Epiſtolam conſcriptam eſſe, ſed ad *plures*: quosdam enim ex iis, ad quos ſcribitur, incarcerandos eſſe prædicitur. Continent autem adhortationem ad conſtantiam & perſeverantiam in perſecutione, ſimulque vaticinium de inſtante tribulatione. *Eventu* autem hoc ipſum comprobatum eſſe oſtenderem, niſi ipſa copia & varietas afflictionum, quæ hac periodo Eccleſiam ferè ubique terrarum vexârunt, à recenſione me abſterreret. Quid in ipsâ Conſtantinopoli, ſede Imperatoriâ, piis Chriſtianis, Chryſoſtomi fautoribus, & orthodoxias cultoribus acciderit, narrat *Sozomenus*, *Lib.* VIII. *cap.* 22. *Rapiuntur ad vincula & cuſtodias quotquot prehendi poſſunt: & primò quidem illi, qui reverendiſsimum ſuum Patrem, pietatis ergo egredientem, comitabantur, Epiſcopi, Sacerdotes, & cæteri Eccleſiaſtici ordine. Alii quamplurimi Chalcedonem in carcerem, & alia loca viciniora abducuntur, alii in loca ulteriora trans mare, ad diverſas inſulas deportantur; prius tamen variis excruciati tormentis, & in ipſo quoq; itinere, miſerandum in modum ab hominibus improbisſimis exagitantur. Quidam etiam inſtar clitellarum, nudis impoſiti ſunt mulis, capitibus deorſum vergentibus,*

gentibus, in modum victimarum: & divertentes aut pernoctantes, non in locis honestioribus & commodioribus eos custodiæ mandabant, sed in publica prostibula & lupanaria, & alia ejus generis loca ignominiæ obnoxia, ipsos, velut armentorum gregem concludebant. Quæ tamen omnia potiora habuère pientissimi Martyres, quàm ut ab amore & doctrinâ Johannis sejungi se paterentur. Hactenus *Sozomenus.* Et hæc eo graviora fuerunt, quòd sub *Christiano Imperatore*, pietatem simulante, & sub prætextu juris & pietatis perpetrata sunt. Quantas Gothi & Vandali, Arianismo addicti, turbas dederint in Africâ, præsertim sub Genserico & Hunericho Regibus, quàm Ecclesiam divexârint, ex *Hieronymi* patére potest querelâ: *Quot Matronæ, quot Virgines Dei, & ingenua nobiliaq; corpora his beluis fuére ludibrio? Capti Episcopi, interfecti Presbyteri; & divinorum officia Clericorum: subversæ Ecclesiæ, ad Altaria Christi stabulati* Equi, *Martyrum effossæ reliquiæ, ubiq; luctus, ubiq; gemitus, & plurima mortis imago.* Hæc ille. Arriana certè Hæresis, & Orientales & Occidentales Ecclesias plurimum afflixit, maximasque tempestates excitavit. De quibus Persecutionibus videri possunt *Centur. Magdeburg. Cent.* V. VI. VII. *Capp. de Persecution.* itemque *Hottingerus Histor. Eccles. sub Seculo* IV. V. VI. VII.

Quid autem *Dies illi DECEM*, quorum expressa fit mentio in in hac prophetiâ, notant? Nihil hic solidi ab Interpretibus adfertur: vel enim sicco pede prætereunt; vel aliquid conjecturando proponunt: unde aliqui hoc *Denario numero longum tempus* duraturæ persecutionis notari; alii ècontrario hoc ipso decendio *admodùm breve* afflictionis momentum indicari statuunt. Quicquid sit, & quicquid dicatur, rogo illos, qui communem defendunt sententiam, has Epistolas ad solas illas Ecclesias, quarum nomina propria habent præfixa, esse exaratas, ut mihi dicant, quomodo, stante istâ sententiâ, ostendere velint ex Historiis, hoc Decendium notabile in Smyrnensi Ecclesiâ eventu esse comprobatum. Hærebit ipsis certè aqua, præsertim si numerus revelatus, uti in Vaticiniis fieri debet, pressiùs urgeatur. Sed nobis constat, sub integumento Nominum propriorum latitare totius N. T. Ecclesiam, & sub Smyrnâ Periodum secundam. In hac ergò occurrere debent, vel *Decem Dies* propriè sic dicti, vel *Decem Dies Angelici*, hoc est, tot-

idem

idem Anni, qui maximè ſint notabiles, quique actum contineant Eccleſiæ maximè noxium, ſummeque formidabilem. Notiſſimum autem eſt in Hiſtoriis illud DECENNIUM, quo, inſtinctu Satanæ, impuriſſimum illud monſtrum *Muhammed* virus ſuum evomuit, & infeliciſſimus faber *Alcoranum* blaſphemiis refertum cudit: totidem enim Annis inter ſuos & regnavit & docuit.

Initium hujus *Decennii* admodùm celebre & decantatum eſt, continet enim *Epocham Arabum*, à fugâ Muhammedis deductam, & incidit in *annum Æræ Chriſtianæ* DC XXII. qui fuit Ætatis Pſeudoprophetæ LIV. *Anno* autem *undecimo Imperii Heraclii mortuus eſt Muhammed filius Abdalla, propheta Muſliminorum, die Lunæ, qui erat ſecundus menſis Rabii prioris, anno fugæ undecimo, ſepultusq; eſt in domo ſuâ, in quâ etiam obiit, eſtq; illa domus Ajiſchæ. Morbus ejus duravit dies tredecim, poſteaq; mortuus eſt anno ætatis* LXIII. *nullis relictis liberis, exceptâ Phatemâ, quæ quadrageſimo die poſt, aut, juxta alios, ſeptuageſimo, imperante Abubecro, animam quoq; exhalavit*: uti *Clariſſ. Hottingerus ex Patricide, Hiſtor. Oriental. Lib.* II. *Cap.* 4. *pag. m.* 273. pluribus docet. Habemus ergò hîc DECENNIUM maximè notabile, & Eccleſiæ Dei funeſtum: *Religio* quippe, ſeu potiùs *ſuperſtitio Turcica*, hodie longè lateque regnans, totque ſeculis Eccleſiam vexans, eo ipſo nata eſt, & exorta. Quòd ſi dictus hic impoſtor ſuperſtes fuiſſet, plures fortè blaſphemias, quas hodiè nonnulli ex ejus aſſeclis poliunt & palliant, evomuiſſet: ſed quamdiu furere debuerit, divina Providentia non ſolùm conſtituit, ſed etiam Fidelibus ſuis notum eſſe voluit. Nec tamen quiſquam putet, eam notitiam nobis hodiè non admodùm utilem eſſe, cùm jamdudum ille impoſtor defunctus ſit, nec eo tempore, cùm vixit, intellectum fuerit, hoc Vaticinium de illo agere; tum quidem potuiſſe ſolatio eſſe fidelibus, ſi notum fuiſſet hoc ipſum, hodiè autem autem vix alicujus eſſe uſus. Næ autem qui ſic ſtatuit, turpiter errat! Hæc ipſa notitia & intellectus, *tùm Vaticinii, tùm Fidei noſtræ ſtabilit* " *veritatem*, ſcriptumque ſimul eſt in noſtram cautelam, quò do- " ctrinam peſtiferam, illo tempore natam, cane & angue pejus " fugiamus. Inſtant enim periculoſiſſima tempora, ubi ad Muham " mediſmum, æquè ac hodiè ad Papiſmum amplectendum, & ſollici- " tabuntur & cogentur homines. Funeſtiſſimum igitur eſt illud *Decen-*

dium, Angelicum nimirum, hoc eſt *Decennium*, & non ſine causâ à Spiritu S. expresſis numeris notatum.

Eſto fidelis usq; ad mortem, & dabo tibi coronam Vitæ. γίνȣ πιςὸς ἄχρι θανάτȣ, καὶ δώσω σοι τὸν ςέφανον τῆς ζωῆς.) Non tantùm ad fidelitatem hæc verba adhortantur, præmium Vitæ æternæ proponendo perſeverantibus: ſed ſimul etiam, quid pios illos Martyres, hac ipsâ Periodo carceres & mortem perpeſſos; poſt tot exantlatos labores maneat, edocent, nimirum Corona vitæ, ſeu Vita æterna.

Clauditur hæc Epiſtola eodem Epiphonemate, ac reliquæ: *Qui habet aurem audiat, quid Spiritus dicat Eccleſiis*) quò moneamur, etiam adhuc hodiè ab illo *Decendio* fatali cavendum eſſe; ſimulque ad propoſitum præmium Vitæ æternæ reſpiciamus, quò in ipſis perſecutionibus in fide & doctrinâ ſalvifica conſtanter perſeveremus, & fortitèr adverſitates propter veritatem ſuſtineamus.

Additur promisſio: *Qui vicerit, non lædetur à morte ſecundâ.* ὁ νικῶν ȣ̓ μὴ ἀδικηθῇ ἐκ τȣ̃ θανάτȣ τȣ̃ δευτέρȣ.) *Mors ſecunda* quid ſit, exponitur *Cap. XXI. v. 8. Pars illorum erit in ſtagno ardenti ſulphure & igne, quod eſt Mors ſecunda. Senſus* igitur horum verborum eſt: qui usque ad mortem fidelis permanſerit, ita ut fidem non negaverit, etiamſi ob veritatis profeſſionem & confeſſionem, mortem temporalem, eamque ignominioſam perpeti debuerit; is utique mortem ſecundam non habet quòd extimeſcat, hoc eſt, à condemnatione æternâ ſatis eſt tutus.

Et hæc eſt Epiſtola illa, ad Angelum Smyrnenſem miſſa, & jam pro virili explicata.

Sigillum ſecundum.

Sequitur jam *Sigillum ſecundum*, quod habetur *Cap.* VI. *v.* 3. & 4. his verbis: *Et cùm aperuiſſet Sigillum ſecundum, audivi ſecundum Animal dicere: Veni & vide: Et exivit alius Equus rufus, & qui ſedebat ſuper illum, datum eſt ei, ut ſumeret pacem de terrâ, & ut invicem ſe interficerent, & datus eſt ei gladius magnus.*) Poteramus hunc *Equitem* de concertationibus & digladiationibus Epiſcoporum & Synodorum, mutuò ſe jugulantium & condemnantium, exponere: utpotè quæ hoc ævo fuerunt frequentisſimæ, multumque damni Eccleſiis dederunt: diſſenſiones enim animorum, odia, exacerbationes, perſecutiones, bella, & Rerumpublicarum everſiones quam plurimæ exinde pullulârunt, & Eccleſiam verè, ſi non erubeſcere, ru-

rubere tamen ſanguine fecerunt. Sed quia expoſitionis loco additur: *Et datum eſt ei pacem ſumere de* TERRA : *Terra* autem *Statū Politicum* aut res politicas, ſive terrenas notat ; neceſſum habemus, hoc loco non *Bella* Eccleſiaſtica ſed *politica* prædici, ſtatuere, talia tamen, quæ multùm Eccleſiam Dei afflixerunt, & propagationem Chriſtianiſmi ſufflaminârunt. Cœperat equidem Religio Chriſtiana jam in tuto eſſe, decretis Imperatorum munita, & Gentiliſmo in pagos (unde *Paganorum* nomen) rejecto, ut Eccleſia ſibi tranquilliorem ſtatum promittere poſſet ſub Principibus Chriſtianis. Sed prô dolor! non diuturna ea fuit felicitas: præter enim quòd Hæreſes nocentiſſimæ indies orirerentur, quibus & ipſi Imperatores & Principes ſeducebantur, funeſtiſſima etiã bella excitarunt Barbaræ gentes, incurſionibus ſuis Romanum Imperium, quod tum temporis latiſſimè patebat, infeſtantes, Hunni nimirùm, Gothi, Vandalique. Hi cùm partim Gentiles eſſent, partim Arianam amplecterentur blaſphemiam; non tantùm Politico ſtatui, ſed etiam Eccleſiæ noxam dederunt ingentem.

Mox ſub initium hujus Periodi, Hunni ad decies centena octoginta millia trajiciunt in Provincias Beſſorum, Sudaliorum, Rutheniorum, Cumaniorum, indeque ad Oſtrogothos pergunt, & inde in Pannoniam, ubi ſedes invitis Romanis occupant. VViſigothi & Gothi effundunt ſe in Thraciam, Theſſaliam & Epirum. Valens Imperator, Gothis Orientem adeò urgentibus occurſurus, ab eis vincitur, & vivus crematur; quo caſu, poſt Cannenſem pugnam, nullus fuit luctuoſior, affirmante Marcellino: vide *Theſaur. Chronolog. Alſted. Cap.* XX. *de Chronologiâ Regnorum vet. mihi pag.* 193. *& ſeqq.*

Hieronymus quoque & *Ruffinus* annotant, eo die imperium inclinare cœpiſſe, quia tunc Barbari provincias Romanas ita occuparunt, ut inde non potuerint amplius expelli. *Circa Annum Chriſti* CCCCII. Gothi, Vandali, aliæque barbaræ Nationes invadunt Imperium Occidentis, & Eccleſiam vaſtant: nominatim Athanaricus Rex Gothorum. Vandali, duce Genſerico ex Hiſpaniâ in Africam progreſſi, crudeliſſimè ſævierunt, & quia Arriani erant, venenum ſuum latiſſimè ſparſerunt. Coſroes etiam Rex Perſarum, cognomento Magnus, Juſtiniano imperante, Syriam & Ciliciam invadit, plurimasque Civitates graviſſimè ob Chriſtianiſmum affligit. Alboi-

boinus Longobardorum Rex, anno Justini tertio, Christi verò 568. in Italiam ingressus cum exercitu, vovit, se gladio omnes Christianos deleturum, idque reipsâ perficere cœpit, cùm Templa diripuit, Sacerdotes interemit, & Monachos de arboribus suspendit: ut ex *Gregorio Turonensi* patet, *Lib.*IV.*Cap.*41. Exarchæ Ravennates, & Reges Italiæ, Religione dissidentes, inter se atrocissimè dimicarunt: Ipsa Orbis terrarum domina, Roma capta est, & direpta. *Ex hoc tempore*, inquit *Aventinus Lib.* II. *pag.*127. *Provinciæ paulatim defecerunt, gentes deletæ, Regna excisa sunt: retro omnia fluere, misceri, Germani invalescere cœperunt. & cùm Orbis terrarum (teste divo Hieronymo) rueret, in hominibus peccata non ruebant. Ubique ossa Regum, Principum, Sacerdotum, populorum ejecta fuere de sepulchris, & universa completa sunt Ossibus mortuorum, ita ut lacrymæ aruerint.* Hæc *Aventinus* Quin nec à cæde *Imperatorum* sibi temperavit hoc ævum: nota enim sunt parricidia Maximi & Phocæ, quorum ille *Gratianum*, hic verò *Mauritium* è medio sustulit, ex quo factum, ut Christianus in Christianum stringeret ensem, & sanctus hic *Eques* scelere & sanguine turparetur, *Christianumq;* *nomen* inter gentes pessimè audiret. *Cùm Rhadagæsus ad Romam castra locaret, tum cultores Deorum provolant, coëuntq;, in Religionem Christi convitia jactant, eam omnium calamitatum, omnis stragis & cladis causam esse vociferantur. Iratis Diis opprimi Italiam, orbem Romanum ruere, ob veteres ceremonias neglectas*, ut habet *Aventinus Lib.*II. *p.*126. qui fusè hæc bella, seu potius latrocinia describit.

Et quid multis! tot tamque funesta bella & Orientem & Occidentem concusserunt, ut vastissimum illud Imperium Romanum, tum temporis Ecclesiæ hospitium celebre, tandem accedente etiam *Saracenismo*, collaberetur, &, juxta *Danielis* vaticinium, hac ipsa Periodo, in Regna plurima dehisceret. Bellè itaque hoc Jubileum Angelicum, sub schemate *militis bellicosi*, in scenam producitur, utpotè satis bellicosum.

De invitatione *Animalis secundi*, quâ nihil aliud notatur, quàm Periodum secundam jam fluere, dictum est *præcedenti Capite*, ut ea repetere hîc non sit opus.

Et tantum etiam de Equite hoc rufo, seu de Sigillo secundo.

(Tu-

Tubicinium secundum jam etiam lustrabimus: illud habetur Cap. VIII. v. 8. & 9. *Et secundus Angelus tubâ cecinit, & tanquam Mons magnus igne ardens missus est in mare, & facta est tertia pars maris sanguis. Et mortua est tertia pars creaturæ eorum qui habebant animas in mari, & tertia pars Navium periit.* Missis aliorum interpretationibus, δὶς διὰ πασῶν inter se discrepantibus, convenientissimum judico, si sublatis verbis metaphoricis, propria substituamus, permanente reliquo contextu integro. *Mons* ergò in Sacris denotat *Regnum*, seu dominium, ut patet *Esa.* II. *v.* 2. *ubi Mons Domini excelsior futurus prædicitur omnibus montibus*, hoc est, Regnum Christi excellentius omnibus aliis Regnis terrenis. Et in hoc significatu usurpatur etiam *Apocalyps.* VI. *v.* 14. *Et omnis mons & insulæ de locis suis motæ sunt*: i. e. Omnia Regna & Respublicæ mutationes sunt passæ. *Ignis* verò in Apocalypsi *Verbum Dei* notat, seu spiritualem seu Ecclesiasticam potestatem, quæ verbo Dei nititur, sive id fiat in usu legitimo, sive in abusu: ut quando *Cap.* XI. 5. de Testibus Jesu dicitur: *Ignis exiit de ore eorum, & devorabit inimicos eorum*: i. e. Verbo Dei oppugnabunt, & condemnabunt hostes Veritatis. Sic in sensu abusivo *Cap.* XIII. 13. de Bestiâ dicitur: *Fecit signa magna, ut etiam Ignem faceret de cælo descendere*: i. e. jactitat etiam Bestia, se habere Verbum Dei, illoque ad stabiliendum suos errores & facinora abutitur, inque dissentientes jacit anathemata. Sic in *primo Sigillo*: *Omne fœnum viride combustum est*; hoc est, Igne sacro Verbi divini, in iis qui ordinati erant ad vitam, hoc est, quotquot crediderunt, peccata combusta sunt, & omne quod ipsis impedimento poterat esse ad salutem, econtra verò fides & charitas erga Deum & Proximum accensa. Et fermè perpetuum est *Apocalypsi*, ut *per Ignem, ignis Verbi divini, seu Spiritus* intelligatur, sive is sit legitimus, & cælitùs descendens, h. e. rectè usurpatus, sive fatuus & affectatus, hoc est; in teterrimo verbi divini seu potestatis spiritualis abusu. *Mare* autem confluxum populorum multorum, & sic *Universitatem* notat: hoc verò loco, quia de Ecclesiasticis rebus sermo est, *Ecclesiam visibilem universalem* figurat: unde etiam *Cap.* IV. per *Mare vitreum, simile crystallo, ante thronum*, nihil aliud, quàm *Ecclesia visibilis* notatur. Sic *Cap.* XV. *Mare vitreum mixtum igni, ad quod stant, qui victoriam reportârunt à Bestiâ, & imagine ejus,*

Tubicinium secundum.

jus, & charactere ejus, & numero nominis ejus; nihil aliud designat, quàm Ecclesiam visibilem eorum, qui à Papatu aliisque sectis se separaverunt, igne Verbi divini instructi. Quin per totam *Apocalypsin*, per *Mare*, *Visibilis Ecclesia, è multis populis collecta*, intelligi potest, uti singulis locis, ubi accessum fuerit, postea σὺν θεῷ ostensuri sumus. Notandum prætereà, quòd non dicatur absolutè: ὄρος μέγα πυρὶ καιόμενον ἐβλήθη εἰς τὴν θάλασσαν, sed additur vocula ὡς, *sicut, veluti, quasi*, quâ aliquo modô hæc sententia limitatur.

Jam ergò Verba conjungamus, & sic sonabunt: *Regnum quasi magnum, Verbum Dei usurpans; seu potestatem Ecclesiasticam exercens, in universam visibilem Ecclesiam projectum est.* Neminem tam stupidum esse credo, qui jam non videat, quid hoc Vaticinium sibi velit, & quid per *Quasi-Regnum*, spirituali potestate munitum intelligi debeat, nempe DOMINATUS TERRENUS *in Ecclesiam invectus*, qui sanè tam noxium dedit effectum, ut *tertia pars Ecclesiæ maderet sanguine, & tertia pars Christianorum occideretur*: (Sive Occisionem corporalem, sive spiritualem hoc loco intelligamus; utrumque enim factum esse, Historia Ecclesiastica abunde testatur) *& tertia pars Templorum, Scholarum, & muniorum Ecclesiasticorum deperderetur*; id ipsum enim *Naves in mari* denotant. Quemadmodùm enim per *Piscatores*, *Doctores Ecclesiæ*, *Presbyteri*, *& Pastores*, *Luc.* V. *v.* 11. & *Ezech.* XLVII. 10. figurantur: ita per *Navigia*, illorum *Officia & munia*, *Templa*, *& Scholæ* rectè adumbrantur. Sic *Apoc.* XVIII. *v.* 17. *Omnes gubernatores, omnis in navibus versantium turba, & nautæ, & quotquot ex mari quæstum faciunt, à longè stant*: i. e. Omnes Episcopi, Presbyteri, Plebani, & quicunque quæstum è rebus sacris aut Ecclesiasticis capiunt, à longè stabunt, das gantze Pfaffengeschmeisse mit allem Zugehör / i. e. Rectores Scholarum, Cantores, Organœdi, Æditui, & similes.

Constat itaque de *Sensu*, videamus an etiam *Historia Sacra* concinat. Hactenus equidem Ecclesia gubernata erat ab Episcopis & Presbyteris, nullum Dominatum terrenum exercentibus, sed solo Verbo divino contentis; nec etiam quicquam Magistratui politico curæ aut negotii fuit in rebus Ecclesiasticis: at postquam Imperatores Christianismum amplexi sunt, hæc gubernatio perquàm oppidò mutata est, & longè aliam faciem induit. Magistratui enim Politico, ut nobilissimo corporis mystici mem-

bro, multa concessa sunt, multa data, multa etiam ab ipso viâ facti usurpata, & Ecclesiæ per vim erepta. Et gratulari sibi poterat Ecclesia de Principibus Christianis, utpote *Tutores & Nutritores*, juxta vaticinium *Esaiæ* LX. *v.* 10. 11. 16. nacta, *qui gloriam suam, & honorem Civitati sanctæ inferrent*, juxta promissum *Apoc.* XXI. *v.* 24. si isti omnes fideles perstitissent, aut suâ potestate non fuissent teterrimè abusi. Sed docuit eventus, plus damni, quàm commodi accepisse Ecclesiam à Brachio seculari. Vel enim hæreticis faventes, ipsi Hæretici, ferrum in Orthodoxos strinxerunt; vel ipsi Orthodoxi, Claves cum Gladio commiscentes, excommunicatos à censurâ Ecclesiastiâ exemerunt, & pietati, quantum in ipsis fuit, fuerunt impedimento, multaque pro lubitu in Sacris immutârunt: & sic *Dominatum terrenum* in Ecclesiam invexerunt, qui posteà ad Episcopos, & tandem ad Pontificem Romanum, ope & operâ Imperatorum transiit. *Exempla* in Historiis passim occurrunt. Notabile est, quod *Nicephorus* refert, *Lib.* XIII. *Cap.* 30. his verbis: *Interea ingens persecutio excitata est adversus Ecclesias Dei, Attici instinctu, (neq; enim cum hoc quoq; communicare quisquam, propter eum, quo Johannem* (*Chrysostomum* intelligit) *maximè prosequebatur amorem, volebat:) jussiones Imperiales circumferebantur passim, in hæc verba conceptæ: Si quis Episcoporum cum Theophilo, Attico, Porphyrio communicare noluerit, extorris Ecclesiâ esto, & facultatibus privator: ex Laicis autem seu popularibus, qui Magistratus gerunt, dignitate excidunto: Milites cingula deponunto: Vulgus autem & opifices, auro multo mulctari, exilio, sicut decet, damnantor. Itaq; qui sincerè honestatem sequebantur, & res præsentes non magni faciebant, ne quid absonum, & veræ pietatis instituto indignum committerent ad solitudines inhabitandas profugerunt. Quidam inviti etiam communicare cum illo coacti sunt: quibus scilicet gloriâ & opibus excidere magnum visum fuit. Monachi verò in Syriâ plurimi ab Ecclesiâ sejuncti, Synaxes & conventus suos egêre: quam ob causam multas etiam experti sunt ærumnas.* Hæc *Nicephorus.* Unicum hoc Exemplum abundè, quæ diximus, probare potest, addi tamen possent insuper & alia. Zenonis jussu, Preterius cum sociis suis à Petro est receptus. *Evagrius Lib.* III. *Cap.* 13. & Acacius, jussu Zenonis, se in communionem recepisse Petrum Moggum indicat apud *Liberatum Cap.* 12. Et eò res devenit, ut in *Toletanâ Synodo* XII. *Can.* 4. decretum sit, ut hi, *quos Regia potestas*

aut in gratiam benignitatis receperit, aut participes suæ mensæ effecerit, hos etiam Sacerdotum & populorum conventus in Ecclesiasticam communionem suscipiat, ut quod Principalis pietas (ô adulationem!) *habet acceptum, à Sacerdotibus Dei non debeat esse extraneum.* Sic etiam *septimus Canon* plenus est Adulatione hac, & *terrenum* sapit *dominatum* in rebus Ecclesiasticis.

Et quid multis? Sinceros Doctores in exilium expulerunt sæpè, aut interfecerunt: bona Ecclesiæ suo fisco aut ærario, sine necessitate publicâ, venditârunt, aut Ecclesias spoliarunt. Jus eligendi Episcopos & Presbyteros sibi solis rapuerunt, ita ut sine suo consensu electos, non tantùm removerint ab officio, sed etiam occiderint. Exempla plurima referunt ex probatis Autoribus *Centuriatores Magdeburg. Cent.* V. VI. *&* VII. *Cap.* VII. *de Politiâ Ecclesiæ. Tempore Anastasii, circa Annum Christi* 493. *Reges Italiæ, Hispaniæ, & Africæ erant Arriani: Reges Francorum, Anglorum, & Germanorum Pagani: Imperator Eutychianus, & impius persecutor; movit enim persecutionem adversus* Orthodoxos, *qui parere nolebant* Edicto, *quo ipse, imitatus prædecessorem Zenonem, sanxerat, ut Synodus Chalcedonensis neq; prædicaretur, neq; damnaretur. Cum enim dissensio orta fuisset de istâ Synodo, existimavit, se hoc pacto tranquillitati Ecclesiæ consulturum. Eos igitur, qui huic edicto non obtemperabant, tanquam inimicos publicæ pacis, in exilium ejecit. Simile huic fuit Edictum Heraclii, quo cautum erat, neq; unam, neq; duas operationes aut Voluntates in Christo fatendas esse: Nimirum Heraclius erat* Monotheleta. Vide *Thesaurum Chronolog. Alstedii Capp.* XIX. *&* XXXV. Et sic verè *Mons igne ardens in Mare projectus est*: h. e. *terrenus Dominatus in Ecclesiâ invectus,* qui causa fuit multi Sanguinis innocenter effusi: ita *ut in solâ Africâ, Martyrum ratio iniri haud potuerit*, sic referente *Victore*.

Placuerunt quidem Ecclesiæ edicta Imperatorum, in Hæreticos, pro commodo Orthodoxorum publicata, quibus *Zizania*, contra tamen Christi monitum *Matth.* XIII. *evellebantur*: sed prô dolor! ille ipse Gladius secularis in hæreticos strictus, jugulum Orthodoxorum petiit, ut & sic verum esset Salvatoris effatum: *gladium sumens, gladio peribit.* Patet idipsum vel ex *literis edictalibus Hunerici, Regis Arriani* in Africâ, quarum exemplum in *Victore, Lib.* III. extat:

Rex Hunerichus Vandalorum & Alanorum, universis populis nostro Regno subjectis. Triumphalis & *Majestatis regiæ probatur esse virtutis, mala in autores consilia* RETORQVERE. *Quisquis enim pravitatis aliquid invenerit, sibi imputet, quod incurrit. In quâ re nutum divini judicii Clementia nostra secuta, personis, prout eorum facta meruerunt, seu bona, seu fortè talibus contraria, decrevit. Itaq; his provocantibus, qui contra præceptionem inclitæ recordationis Patris nostri, vel Mansuetudinis nostræ, crediderunt esse renitendum, censuram severitatis assumimus. Autoritatibus enim cunctis populis facimus innotescere, ut in sortibus Vandalorum nullos conventus* HOMOUSIANI *Sacerdotes assumerent: nec aliquid mysteriorum, quæ magis polluunt, sibimet vendicarent. &c. &c.* Et post pauca: *Adeò in his est necessarium ac justissimum* RETORQERE: *quod ipsorum Legum continentiâ demonstratur: quas* INDUXISSE *cum terrore* IMPERATORIBUS *temporum diversorum tunc contigit promulgari. Quarum illud videtur tenere contextio: ut nulla, exceptis superstitionis suæ Antistitibus Ecclesia pateret: nullis liceret aliis aut convictus agere, aut exercere conventus: nec Ecclesias aut in urbibus, aut in quibusdam minimis locis, penitùs obtinere, neq; construere; sed præsumtæ Fisci juribus jungerentur. Sed etiam nec Patrimonia eorum, Ecclesiæ suæ fidei sociata, suis Antistitibus pervenirent; nec commeandi ad quæcunq; loca talibus licentia pateret: sed extorres omnibus Urbibus redderentur, & locis; nec baptizandi haberent facultatem aliquam: aut fortè de Religione disputandi: & nullam haberent Ordinandi licentiam, seu Episcopos, seu Presbyteros, vel alios quos ad Clerum pertinere contingeret: propositâ severitate vindictæ, ut tam hi, qui sic paterentur hujuscemodi honores accipere, quàm etiam ipsi Ordinatores, denis libris auri singuli mulctarentur, eo adjecto, ut nullus eis locus esset, vel aditus supplicandi: sed etiam, si qua minus, minimè prævalerent. Et si in hac pernicie perdurarent, etiam de proprio solo ablati, in exilium, super persecutione idoneâ mitterentur. In populo quoq; præfati Imperatores similiter sævientes, quòd eis nec donandi, nec testandi, aut capiendi, vel ab aliis relictum, penitus jus esset; non fidei Commissi nomine, non delegati, non donationibus, aut relictione quæ mortis causa appellatur, vel quolibet codicillo, aliisve forsitan Scripturis: ita etiam, qui in Palatiis, condemnationis*

gravissimâ pœnâ, quæ talibus præscripta constituitur, obligantes: Viris autem Majestatis divinæ cultoribus, i. e. Sacerdotibus nostris, Ecclesias universas, vel totius Cleri nominis supradicti, quibuscunq; terris & regionibus constitutas (quæ propitiâ divinitate Imperii nostri regimine possidentur) unà cum rebus, quæ ad easdem pertinent, hoc decreto statuimus proficere: non dubitantes, quod plus alimoniæ inopùm proficeret; quod sacrosanctis Pontificibus justè collatum est. Hanc ergo Legem, fonte justitiæ profluentem cunctis fecimus innotescere, quatenus nullus, sibi ignotum esse, quod præceptum est, possit obtendere. Optamus vos benè valere. Sub die VI. *Calend. Mart. Carthagine.*

Hæc feralia Edicta, primùm ab Imperatoribus in Hæreticos stricta, posteà ab iisdem & Regibus hæreticis in jugulum Orthodoxorum retorta, satis docent, quid Brachiũ seculare Ecclesiæ profuerit: ut non sine causâ, *Civilius* quidam Italus exclamârit: *O infelicem illum diem, quô primùm Imperator Christianus factus est!* Et utinam! ne adhuc hodiè *Mons iste ardens* pietati impedimento foret. Conqueritur utique de Regibus Israëliticis ipse Jehova; *quòd fabricati sint limen suum juxta limen Domini, & postes suos juxta postes Dei, ut murus tantùm interfuerit: & quòd polluerint nomen sanctum Jehovæ, in abominationibus quas fecerunt, propter quod consumti sint in irâ ipsius. Ezech.* XLIII, 8. Utinam! ne hic ipse *Ezechielis* locus, cùm Templum typicum & mysticum ibidem depingatur, aliquod Vaticinium de Principibus Christianis contineret! Consulamus Historias, ipsamque Praxin intentiori oculo aspiciamus, fateri necessum habebimus, axiomata politica in usum Ecclesiæ inventa, eidem plus damni, quàm commodi attulisse. Ut se tuerentur *Protestantes* in Orthodoxiâ, Axioma quoddam politicum in subsidium vocarunt: nempe *Territorii Domino jus fasq; esse Religionem pro lubitu reformare.* Sed hoc ipsum multis locis noxium fuit, & Provinciarum salus æterna, à Voluntate Hominis, in diem mutabilis, suspenditur; ita ut stante Principe, stet salva Religio; eo cadente, cadat & ipsa. Poterant Principes Nutritores esse Ecclesiæ: 1. Si ipsi Orthodoxiam & pietatem colerent, suoque exemplo reliquis præirent. 2. Si hospitium Ecclesiæ in territoriis suis & Provinciis concederent. 3. Si Orthodoxos contra furores Hæreticorum (*Hæreticus enim semper persecutor est:*) defenderent, ne nocerent piis. 4. Si beneficiis mactarent

rent

rent bonos,& res sacras sartas tectas conservarent: Etiamsi jura Ecclesiæ data, sibi solis haud raperent; aut vi & ingratiis ad fidem cogerent; aut administrationem Clavium, quod sæpe, etiam apud principes optimos, fieri solet, impedirent; aut etiam dissentientes & hæreticos vi & brachio seculari expellerent. Utut enim hoc ultimum, valdè gratum & jucundum sit Orthodoxis,& admodum utile ad propagationem Ecclesiæ videatur; eventus tamen tot Historiarum docuit,idipsum posteà in perniciem Ecclesiæ cessisse,& loco zizaniorum triticum esse evulsum. Verbo itaque ut Ecclesia collecta est,ita & Verbo crescit & conservatur; neque cultus coactus Deo placere potest: & Cœlum invadit,qui Conscientiis dominari cupit: sufficit *Ignis Verbi divini*,ex ore Testium Jesu exiens; hoc mactandi sunt Hæretici, & coërceri debent,non gladio Magistratûs. Hinc in primitivâ Ecclesiâ primis annis trecentis, Hæresi exoriente, autores ejus indicati sunt Ecclesiæ, citati & auditi, & convicti tandem sunt excommunicati; populusque admonitus ut ab istis sibi caveret, neque ipsis communicaret: ultra non sævitum est, nec quisquam propter hæresin aut facultatibus spoliatus,aut loco cedere jussus fuit: donec tandem *Dominatus iste terrenus*,uti docuimus, in Ecclesiam inveheretur, tum etiam Brachium seculare, non admodum felici tamen cum successu,Hæreticos coërcuit.

Hic Dominatus alium peperit, (vel potiùs aliò transmigravit) nempè *Primatum Pontificis Romani*; ad quem enitendum Obstetricum loco fuerunt Imperatores, partim Clericos seculari potestate eximendo; partim etiam nimiis privilegiis & donationibus Episcopos ditando; partim etiam ex superstitione, illorum conatibus nimium connivendo. Hanc enim terrenam potestatem sensim affectarunt posteà Episcopi, & id non sine cæde & sanguine, quod *Theodosii Monachi*, præter jus & fas, per vim & injuriam, Episcopatum Hierosolymitanum invadentis exemplum satis monstrat, qui aliquot millia,suis conatibus obsistentium, trucidavit. Et potissimi ambitores hujus Dominatus fuerunt, *Episcopus Constantinopolitanus*, & *Romanus*: donec tandem, hac ipsâ Periodo fluente, id quod magno conatu hactenus *Mysterium iniquitatis* in Romanis Episcopis egit, ut nimirum eos super omnes Ecclesias totius Orbis terrarum eveheret; in actum productum est. Nam cùm Ecclesiæ Constantinopolitanæ

tanæ Episcopi, cum Romano Pontifice, multis jam annis dimicassent de principatu, usi illo argumento: quòd, cùm Constantinopolis nunc esset Caput Imperii, conveniens esset, & illam Ecclesiam censeri omnium primam: Bonifacius III. nactus Imperatorem, sui in sceleribus valdè similem, Phocam illum Parricidam, magnâ contentione eò tandem induxit; ut sanciret, *Romanam Ecclesiam omnium Ecclesiarum Caput, & Pontificem ejus, Oecumenicum Episcopum & dici debere, & haberi: Anno Salutis* DC VII. juxta *Palmerium*; juxta *Bedam* verò, DC XII. Semel autem Dominatum ab Imperatore confirmatum graviter exercuerunt, & auxerunt; nec hoc sine cæde & sanguine. *Postremò*, inquiunt *Centuriatores Magdeburg. Centur.* VI. *Cap.* 7. *& hoc memoriâ & notatu dignum est, quòd contra eos, qui spontè se subjicere iis noluerunt, Principum & Regum abusi gratiâ, gladios strinxerunt. Nam narrat Galfridus Lib.* VIII. *Histor. Britann. Cap.* 4. *Edelbertum, Cantiorum Regem indignè tulisse Britonum libertatem, qua recusabant se subjicere Augustino Romanensi Legato: & conjunctis copiis cum Edelfrido, mille ducentos Monachos & Sacerdotes interfecisse.* Hæc illi. Benè ergò convenit Vaticinio cum Historiâ: fecit enim *Dominatus terrenus* in Ecclesiasticis rebus, sive ab Imperatoribus, vel Regibus sive ab Episcopis, aut etiam à Pontifice Romano, vel aliis Magistratibus, exercitus, rubere & sanguine madere Ecclesiam, multaq; Navigia, hoc est, functiones Ecclesiasticas, Templa & Scholas perdidit. Solatium tamen fuit, quòd tantùm *Tertia pars* periret: nam interdum fuerunt halcyonia; Orthodoxi Imperatores & Reges multis modis juvarunt Ecclesiam.

Et tantum etiam de Periodo secundâ, seu de Ecclesiæ Smyrnensi, aut Jubileo Angelico secundo.



CA-



CAPUT X.

Periodum seu Ætatem Tertiam, cum Visionibus suis expendit.

P*ergamum* proficiscimur: non autem ad Arcem Trojæ; aut etiam ad urbem Æoliæ, antiquam Atticorum Regum sedem, quæ nomen suum non, ut *Hesychio* placet, propterea sortita est, quòd *Pergamus* dicatur, quasi ἡ ἀκρόπολις τῆς Ἰλίου, Arx Trojæ; sed à *Pergamo*, filio Achillis natu minimo, qui, postquam Aréum Regem duello vicerat, eam de nomine suo appellavit, ut ex *Pausaniâ* liquet. Hanc, inquam, non contemplaturi adsumus; sed *Novi Testamenti Jubileum Angelicum tertium*, quod hoc Nomine, propter rem convenientem, gaudet.

Pergamus enim dicitur, quasi περὶ τῆς γάμου: consvetum quippe Æolibus est, ut pro περὶ, περ dicant, quod ex *Eustathio* planum. Convenit autem hoc *Etymon* huic Periodo Ecclesiasticæ, propter *fornicationem spiritualem*, de quâ Sponsus cœlestis in hac ipsâ Epistolâ satis graviter conqueritur; quâ utique *Nuptiæ* ejus, quas cum Sponsâ suâ contraxit, turpiter violatæ sunt.

Continet autem hæc periodus, prout & reliquæ, etiam Annos trecentos quadraginta tres, (paris enim, quod *supra* probavimus, sunt quantitatis hæc Jubilea Angelica) & *incipit Anno Æræ Christianæ* 719; *finitur* autem *Anno æræ ejusdem* 1061.

Pertinent ad eam, *Epistola ad Pergamensem*, non Episcopum, sed *Angelum* exarata; *Sigillum tertium*; & *Tubicinium tertium*. Accipit

 pit

pit hac etiam Periodo, Mulier fugiens *Alas Aquilinas*; *&* *Anni* MILLE, tam miserè vapulantes, & tot disſidia ac diſceptationes cauſantes, *quibus Draco ligatus eſt*, eâ ipsâ fluente incipiunt. Sed de his duabus poſterioribus Prophetiis, ut & de aliis Viſionum particulis, ad hanc ætatem pertinentibus, fusè ſuo loco diſputabitur: *de Epiſtolâ, Sigillo, & Tubicinio tertio* dicere in *hoc capite*, inſtituti noſtri ratio exigit.

Epiſtola 3. Pergamenſis.

Et *primò* quidem *de Epiſtolâ*: ea habetur *Capite* II. *à v.* 13. *ad* 17. *incluſivè.*

Καὶ τῷ ἀγγέλῳ τῆς ἐν περγάμῳ ἐκκλησίας γράψον, Τάδε λέγει ὁ ἔχων τὴν ῥομφαίαν τὴν δίστομον τὴν ὀξεῖαν· *Et Angelo Pergami Eccleſiæ ſcribe: Hæc dicit, qui habet Romphæam ex utraq; parte acutam.*) Quòd per *Angelum* certa Eccleſiæ pars, ſive Ætas, vel Periodus notetur, ſimulque omnes omninò Chriſtiani eâ Periodo viventes, intelligi debeant, *ſuprà* fuſe probatum eſt, & inſuper commodâ per totam Apocalypſin inductione firmabitur. Non igitur mirabimur, quare in frontiſpicio hujus Epiſtolæ hunc Titulum ſibi tribuat Salvator, quòd *romphæam ex utraque parte acutam teneat*: id enim ſatis patebit, ſi modo Hiſtorias Eccleſiaſticas eorum temporum, quæ hæc Periodus continet, vel obliquo tantùm oculo aſpiciamus. Tum enim indies magis magisque receſſum eſt à Verbo divino, & Traditiones Hominum ita invaluerunt, ut Doctrina Chriſtiana prorſus degeneraret, & fermè tota corrumperetur in fabulas & anilia figmenta, quæſtûs gratiâ conficta. Audiamus *Aventinum Lib.* III. *Annal. pag. m.* 166. ita conquerentem: *Ob ignaviam Regum, & crebra bella, licentia (uti fit) populum Chriſtianum in Franciâ invaſerat. Nihil ſalacius, nihil ſuperbius Sacerdotibus erat: canes & ſcorta alebant, luxu atq; avaritiâ perditi. Decimas, & hujusmodi donaria intercipiebant, contra inſtituta maiorum: nil egenis elargiebantur: Eccleſiaſticas opes, bona pauperum ſoli abliguriebant: in Concionibus non rem Dei Opt. Max. ſed negotium ſuum agere ſolebant. Quotidiè liberis operam dabant, nihilo ſecius ſacrificabant: ſacroſanctam victimam impuris manibus, pollutiſſima conſcientia contaminabant. Ipſi Temperantiæ, omnibusq; Virtutibus, maximè Caſtitati, bellum indixerant.* Hæc ille. Nec tamē quisquam putet, in Franciâ ſolùm, quam hoc loco *Aventinus* perſtringit, ejusmodi facinora & corruptelas doctrinæ viguiſſe: ubique

enim

enim locorum, quod ex Historiis clarum, tàm in doctrina, quàm in vitâ insignes progressus fecit impietas. Quare hoc ipso *Titulo*, *Romphæâ Verbi divini* percutiendos esse, tàm falsa docentes, quàm impiè viventes, monet Salvator, & hunc δίστομον, seu ex utrâque parte acutum gladium, piis Antistitibus, suisque Confessoribus, quàm commendatissimum esse cupit.

Οἶδα τὰ ἔργα σου, *Novi opera tua.*) Hæc verba *Vulgatus* omisit. Profitetur autem iisdem Christus, se esse omniscium, quò scilicet Christianos suos ab impietate absterreret, & in pietate confirmaret, piis præmium, impiis pœnam his verbis pollicendo. Non enim potest non punire Opera mala, bona verò afficere præmio, justissimus ille remunerator Deus. Nec Virtutes etiam Ethnicorum, utut, Theologicè loquendo, non sint bona opera, vacuas dimisit fons omnis boni; sed potiùs eas temporalibus donis compensavit benignissimè, ne dum illorum, qui Christiano Nomine gaudent, & in Ecclesiæ consortio vivunt. Hinc obedientia *Jehu*, in percutiendo domum Ahab exhibita, quanquam is ab idololatriâ Jerobeam nequicquam recederet, sed Vitulos aureos studiosè coleret, ita Deo placuit, ut continuam filiorum & nepotum successionem in Regno, usque ad quartam generationem, non solùm promitteret, sed etiam reipsâ præstaret, II. *Reg.* X. *v.* 30. *&* 31. Quin & ipsius *Ahab* de percusso Nabotho conceptus dolor, & ex concione Eliæ exorta temporaria pœnitentia, pœnam promeritam retardavit, ut habetur I. *Reg.* XXI. *v.* 27. *ad fin. cap.* Sedulus ergò Deus inspector est Operum tàm bonorum, quàm malorum, hæc ut puniat, illa ut coronet.

Καὶ ποῦ κατοικεῖς, ὅπου ὁ θρόνος τοῦ σατανᾶ. *Scio ubi habitas, ubi sedes est Satanæ.*) Digna hæc verba sunt, ut probè expendantur. Tanquam singulare enim & peculiare quidpiam sibi adscribit Salvator, quod noverit, ubi tum temporis habitaverit Ecclesia. Quo ipso satis innuitur, Sponsam Christi hac periodo tot tantisque corruptelis inquinatam fuisse, tamque deformem extitisse, ut vix cognosci potuerit, sed penè invisibilis latuerit, solisque Dei oculis fuerit conspicuus purior Ecclesiæ cœtus. Quod sanè contra Pontificios probè tenendum, qui talem sibi Ecclesiam fingunt, & imaginantur, quæ semper sit conspicua, nec unquam corruptelis doctrinæ publicis obumbretur & obnubiletur: quod tamen huic Christi asserto maximè contraria-

tur, utpote qui disertè affirmat, hujus tertiæ Periodi Ecclesiam *suis oculis* tantùm fuisse conspicuam, quæ scilicet ibi latuerit, *ubi Thronus fuit Satanæ*. Nec abnuit *Historia illorum temporum*: Translatum enim hoc tempore, cum Romani Imperii axiomate, à Græcis ad Francos est Ecclesiæ patrocinium, & *Hierarchia & Theologia Pontificia* in Occidente luculentissima habuerunt incrementa, Maximusque Pontifex summum jus, summamque potestatem, non in Ecclesiastico tantùm, sed & Politico Regimine sibi vendicavit. Ut ita verè Ecclesia *sub jugo Romano*, seu *in facie serpentis*, vel, ut hîc Spiritui Sancto loqui placet, *ibi ubi Thronus est Satanæ*, i. e. *sub Principatu & dominatu Pontificis* Romani, gemuerit & latuerit. *Roma* enim *Apoc*. XIII. 2. (uti illum locum explicantes *posteà* monstrabimus) expresè *Satanæ thronus* vocatur. Et ita Vaticinio Eventus bellè respondet: de quâ re videri possunt, tum *Hottingeri Historia Eccles.* tùm *Centuriatores Magdeburg*. *Hi* sanè *ad Seculum Decimum*, quod totum ad nostram Periodum pertinet, *Cap*. VII. sic annotant: *Ecclesiæ hoc seculo passim Dominationi seu tyrannidi Romani Præsulis subjectæ erant: & ad arbitrium istius, velut ad Regis Ecclesiastici imperium, cuncta fiebant. Prætereà omnibus reliquis Episcopis & gubernatoribus ritus atq; opera Romanorum Sacerdotum plus justo arridebant, eaq; omnia summo gaudio æmulari conabantur. Hinc est, quod pauca de Regimine, de Doctrinâ, de Confessione, & pietate aliarum Ecclesiarum in hac ætate, sit à Scriptoribus annotatum, nulloq; unquam tempore videatur atrior & densior nox Ecclesiam Christi oppressisse, quàm hoc præsenti.* Hæc illi.

Καὶ κρατεῖς τὸ ὄνομά μου, καὶ οὐκ ἠρνήσω τὴν πίστιν μου, καὶ ἐν ταῖς ἡμέραις, ἐν αἷς Ἀντίπας ὁ μάρτυς μου ὁ πιστὸς, ὃς ἀπεκτάνθη παρ᾽ ὑμῖν, ὅπου κατοικεῖ ὁ σατανᾶς. *Et tenes Nomen meum, & non negâsti Fidem meam. Et in diebus illis Antipas, testis meus fidelis, qui occisus est apud vos, ubi Satanas habitat.*) Licet hac Periodo densissimæ tenebræ Ecclesiam obruerent, ut tota, quanta quanta esset, in throno Satanæ latitaret: nihilominus tamen hoc loco asseritur, in ipso *Throno Satanæ*, (quod ingens paradoxum!) etiam in diebus illis, in quibus Antipas, testis Christi fidelis, occisus est, reliquos fuisse, qui Nomen Christi tenerent, ejusque fidem, si non ubi-

ubique profiterentur, non negarent tamen, nec etiam pro Veritate vitam & sanguinem profundere dubitarent. *Antipas* autem idem est, quod *Antipappas*, sive *Antipapa*. Ex Veterum enim autoritate tradit *Eustathius*, voculam πᾶς Infantium idem esse cum voce πάππας, unde PAPÆ nomen. Ut ita Ecclesia hujus temporis præter Infantes, aliosque latitantes fideles, etiam ex *Antipapis*, h. e. Papatûs oppugnatoribus, ingenuisque Confessoribus constiterit; qui tamen in diebus illis occisi, h. e. oppressi, & tacere coacti sunt, quin multi etiam neci traditi. Prævalere enim visum est Mysterium iniquitatis, neque tamen ita prævalere potuit, ut Ecclesiam funditus destrueret, omnesque fideles vel tolleret, vel seduceret, sed semper extiterunt Nomen & fidem Christi profitentes. Repetitur tamen denuò, quòd Satanas ibi habitaverit, ubi Nomen Christi tenentes habitârunt, ut admiranda Dei providentia & œconomia in conservandâ Ecclesiâ eò meliùs observaretur, simulque status Ecclesiæ istorum temporum emphaticè describeretur: ut firmiter crederemus, etiam sub densissimis tenebris in medio Papatu Ecclesiam aliquam viguisse, pluresque fideles, Christo addictos, extitisse. Si ergò è nobis quærunt Pontificii, *ubi Lutheranismus*, hoc est, purioris Ecclesiæ cœtus, *ante Lutherum fuerit?* Respondemus cum Christo ex præsenti Epistolâ: *Ibi, ubi thronus Satanæ*, seu ubi Satanas habitavit, hoc est, in medio Papatu.

Ne quis autem *Romanæ Ecclesiæ* injuriam fieri censeat, quòd *Roma Sedes Satanæ* fuisse statuatur, præsertim hac Periodo, sub dominio Pontificis: age! contemplemur hanc Sedem sanctissimam, & cujus faciem æmulata fuerit, Christiné, an Satanæ, facili negotio dignoscemus. Domesticum tamen producemus testimonium. Sic autem *Baronius*, *Ann. Chr.* 912. *S.* VIII. *Quæ tunc facies Sanctæ Ecclesiæ Romanæ? quàm fœdissima: cùm Romæ dominarentur potentissimæ æquè ac sordidissimæ meretrices? quarum arbitrio mutarentur sedes, darentur Episcopi, & , quod auditu horrendum & infandum est, introducerentur in Sedem Petri, earum Amasii, Pseudopontifices, qui non sint, nisi ad consignanda tantùm tempora in Catalogo Romanorum Pontificum scripti. Sic vendicaverat omnia sibi libido, seculari potentiâ freta, insaniens, æstro percita dominandi.* (Et post pauca:) *Quales autem veris delectos ab hisce monstris Presbyteros & Diaconos, Cardinales*

fuisse putandum: cùm nihil tam naturæ insitum sit, quàm unumquemq́, sibi similem generare? quos in omnibus, iis, à quibus delecti fuerunt, concessisse, dubitare quis poterit? imitatosq́ esse ipsos, sectatosq́ eorum vestigia, quis non facilè credat? Hæc ille.

Agnosces, opinor, *Lector benevole*, ipsissimam *Sedem Satanæ*, & inferni barathrum! Audis, quales fuerint, qui Sedem Romanam tenuerunt, Papæ & Cardinales, non Christum, sed Satanam imitantes: & tamen Ecclesia sub hisce monstris habitavit & gemuit. *Catalogus Test. Verit. Lib.* II. *p.* 235. sic conqueritur: *Regnum Episcopi Romani usq́ adeò obumbravit & obnubilavit decimo post Christum Seculo passim omnes in Europâ Ecclesias, ut tantùm ex ejus nutu, tanquam ex Numinis cujusdam cœlestis penderent, non solùm Ecclesiarum, sed ipsi quoq́ Politiarum Gubernatores penè omnes. In hoc Seculo pauci excelluerunt doctrinâ & virtutibus eximii Viri: aut, si fuerunt, in tanto tantæ tyrannidis metu ac publicâ trepidatione, vix hiscere, & vocem emittere de corruptelis, idolomaniâ, superstitionibus, pravisq́ moribus, passim invalescentibus, ausi sunt. Mox enim ut Orthodoxi quidam, & Deum timentes, Verbulum efferre conati sunt, insonuerunt terribilia illa Fulmina ex Throno Romano, quæ necesse fuit omnes exhorrescere: præcipuè cùm, fascinatis passim Magistratibus Civilibus, iis, veluti mancipiis, ad suam ambitionem & tyrannidem stabiliendam Romani Pontifices abuterentur.* Hæc ibi. Ex quibus satis videre est, quo modo, & quâ ratione hac Periodo *Antipas* occisus fuerit, nimirum vi & fraudibus Papatum stabiliendo, & contradictores fulmine Anathematis percutiendo, ita ut ne Regibus quidem parcitum sit. *Acta Concilii Rhemensis*, in causâ Arnulphi habiti, id ipsum satis edocere possunt.

Placet *Brigthmanni*, *Angli*, verba *super hunc Apocalypseos locum* adscribere, quia in explicando illo nobis ὁ ὀψηγὸς est, licet in determinandâ Periodo Temporis nihil solidi adferat, sed eam pro lubitu confingat; sic autem ille: *Antitypum esse diximus, Ecclesiam ab anno quadringentesimo usq́ ad trecentesimum supra millesimum:* (calculus hîc fallit, nec ullo firmo nititur fundamento:) *quando post Constantium, Julianum & Valentem, relictâ Smyrnâ, concessit ulterius Aquilonem versus usq́ Pergamum, i. e. in densiores tenebras abdita sit,*

re-

redacta sub potestate illius Urbis, ubi Thronus est Satanæ, nimirum ROMÆ. *Hæc est illa turrita Urbs, Arx Trojæ, cujus se filiam gloriatur, Metropolis olim totius penè Orbis, superba Domina ac Regina Gentium, non minus magnificis Templis, Theatris, Obeliscis, Ædibus splendida, quàm amplæ ditionis & Imperii. Thronus Satanæ apertè vocatur Cap.* XIII *v. 2. tùm quòd Sedes quondam erat Ethnicorum Imperatorum, ut ad illum locum ostendemus: tùm, quòd, sublatis illis, domicilium constitutum sit Paparum, qui, durante hoc tempore, planissimè demonstrârunt, se Diaboli auspiciis, non Dei, regnare. Viginti quatuor Pontifices erant, Diabolicis artibus omnes dediti: quorum aliqui se totos Satanæ pacto mancipabant, Pontificatûs potiundi gratiâ. Imò per totos octoginta annos, à Sylvestro* II. *usq; ad Gregorium* VII. *nemo Papa regnavit, nisi insigniter nobilitatus hac impietate. Num quis dubitare potest, ubi Diabolus thronum suum collocatum habebat, quando tot viderit Purpuratos Necromanticos Romæ sedere? Roma ergò est Pergamum; neq; solùm Urbs Roma, sed tota Romana ditio, quousq; patebat Romani Pontificis principatus. Quamdiu florebat hæc Tyrannis, in iis omnibus locis eidem subjectis status erat Ecclesiæ Pergamensis. Tenentes autem nomen Christi, sunt Fideles, ubicunq; locorum, per illud tempus dispersi, qui non deterriti Romanâ Tyrannide, sanam doctrinam interim firmiter retinebant. Quales multi fuerunt in Oriente, in Africâ, in nostrâ Britanniâ, aliisq; locis, viritim tamen magis insignes, quàm ullis integris cœtibus conspicui. Nunc enim tempus erat latitantis Ecclesiæ, ut infrà docetur uberius, cap. 7. & 11. & 12. Antipas occisus fuit, quando circiter Annum Octingentesimum* (hæc est nostra Periodus!) *capitale esse cœpit Romano Pontifici resistere. Vide enim quàm accommodatissimum nomen Spiritus S. tribuit Pergamensi Martyri: vocatur Antipas, non quidem ficto, sed vero nomine: quod tamen tot penè literis & syllabis, Martyres hujus temporis declararet fore Antipapas: non illam bicipitem & tricipitem hydram, cujus capita inter sese de Papatu contenderent; sed qui sacrilegis Papis se opponerent, cupientes illam impiam potestatem in ordinem redigi. Cujusmodi fuerunt Leo Isaurus, occisus quodammodo per Gregorium* II. *quando spoliatus erat per eum Occidentali Imperio: Fridericus Barbarossa omnibus molestiis iniquissimè vexatus: inferioris fortunæ, Episcopus Florentinus eo condemnatus,*

quòd

quòd Antichriſtum adveniſſe docebat. Arnulphus quidam, vel ut alii, Arnoldus, ſuſpenſus Romæ, quòd liberius in Papam, Cardinales, & Sacerdotes loquutus eſſet: Gerardus & Dulcimus Navarenſes, vivi, cum aliis triginta, combuſti, quia Papam Antichriſtum eſſe prædicabant: multiq; alii, quorum longum eſſet catalogum contexere, nec eſt hujus inſtituti mei. Conſiciat pius Lector ex Decretis, quæ in Jure Pontificio habentur, quàm multi Antipæ, vel Antipapæ, in hoc Pergamenſi ſtatu, trucidati ſint: Quorum primum eſt: *Qui Romanæ Eccleſiæ privilegium ab ipſo ſummo omnium Eccleſiarum Capite traditum, auferre conatur, hic procul dubio in hæreſin labitur, & Hæreticus eſt dicendus.* Diſtinct. 22. Omnes ſive Patriarchæ rurſum: *Anathema apud Deum fiat, qui cenſuram Romanorum Pontificum violat.* Cauſa 25. q. 1 generali decreto. Quibus adjunge: *Non ſunt homicidæ, qui adverſus excommunicatos zelo matris Eccleſiæ armantur* Cauſ. 23. qv. 5. Excommunicatorum interfectoribus. *Ex quibus tecum rationem puta, cùm eadem ſemper fuerit voluntas Romanæ Meretricis, etiam antequam hæ leges latæ fuerunt, quòd Antipæ ſint ab eâdem occiſi, poſtquam aliquam eſſet nacta poteſtatem. Multi tamen vel illis temporibus fideliter tenuerunt veritatem, pro illâ parte, quam cognitam habuerunt, unde glorioſior illis reponitur Corona.* Hactenus *Brightmannus.* Et quid multis? Ipſe *Johannes Apoc.* XVII *v.* 6. inquit: *Et vidi mulierem ebriam de ſanguine Sanctorum, & de ſanguine Martyrum Jeſu.*

Ἀλλ' ἔχω κατὰ σοῦ ὀλίγα, ὅτι ἔχεις ἐκεῖ κρατοῦντας τὴν διδαχὴν Βαλαὰμ, ὃς ἐδίδαξε τὸν Βαλὰκ βαλεῖν σκάνδαλο ἐνώπιον τῶν υἱῶν Ἰσραὴλ, φαγεῖν εἰδωλόθυτα, καὶ πορνεῦσαι. *Sed habeo adverſus te pauca: quia habes illic tenentes doctrinam Balaam, qui docebat Balac mittere ſcandalum coram filiis Iſrael, edere, & fornicari.*) Sic *Vulgata*, quæ voculam εἰδωλόθυτα non expreſſit. *Beza* ſic vertit: *Sed habeo adverſum te pauca, quod habeas iſthic qui teneant doctrinam Balaam, qui docuit Balac objicere offendiculum coram filiis Iſrael, ut ederent ex iis, quæ ſimulachris immolantur, & ſcortarentur.*) Reſpici hoc loco ad Hiſtoriam *Numer.* XXIV. 14. & XXV. 1. deſcriptam, quivis videt. Recordetur ergò *Lector* eorum, quæ *ſuprà Cap.* V. *Obſerv.* 6. *de Typis directionis divinæ*, iisque à *poſteriori* electis annotavi, & huc ea accommodet. Adducitur enim Hiſtoria à Deo improbata, & typicè applicatur *Pergamenſi angelo*, hoc

eſt, Eccleſiæ ſub tertiâ Periodo, quæ hoc nomine venit, degenti: ſimulque innuitur, analogicum quid iſtis temporibus eventurum, quale olim Iſraelitis in Campeſtribus Moab, evenit. Illi ad Sacra Baal-peor, h. e. Priapi, invitabantur, à ſacris ad Convivia, à conviviis ad Choréas, à choréis & ſaltationibus ad fornicationes, & turpes ſcortationes deſcendebant, quibus flagitiis iram Dei ſæviſſimam in ſe concitabant, ut patet ex *Num. Cap.* XXV. *à v.* 1. *ad* 10. *incluſ.* Hac autem Periodo *Fornicatio ſpiritualis* maximè invaluit, talesque orti ſunt Doctores, quales orituros eſſe *Petrus* etiam prædixerat II. *Epiſt.* II. *v.* 1. 2. 3. ſic ſcribens: *Fuerunt verò & Pſeudo-prophetæ in populo, ſicut & in vobis erunt magiſtri mendaces,* (ψευδοδιδάσκαλοι falſi Doctores) *qui introducent ſectas perditionis,* (αἱρέσεις ἀπωλείας, hæreſes exitiales) *& eum qui emit eos, Deum negant: ſuperinducentes ſibi celerem perditionem. Et multi ſequentur eorum luxurias* (ταῖς ἀπωλείαις exitia) *per quos via veritatis blaſphemabitur. Et in avaritiâ fictis verbis de vobis negotiabuntur: quibus judicium jam olim non ceſſat: & perditio eorum non dormitat.* Et *v.* 15. *Derelinquentes rectam viam erraverunt, ſecuti viam Balaam ex Boſor, qui mercedem iniquitatis amavit.* Et ſanè Vaticinio *Eventus* reſpondit: irrepſerunt enim hac Periodo in Eccleſiam *Canoniſationes Sanctorum; adorationes Reliquiarum, Confeſſorum, & Martyrum; baptiſmus Campanarum; jactatio Operum Monachalium; Ceremoniæ nimiæ Ethniciſmum redolentes; itemq; variæ in Fidei Articulis, de Juſtificatione, Peccato Originali, Libero Arbitrio, Pœnitentiâ, & Sacramento Cœnæ, errores & corruptelæ.*

Quid quod ſpiritualem hanc fornicationem etiam comitatæ ſunt *turpiſſimæ libidines, ſpurciſſimæ ſcortationes, fœdiſſima adulteria, ex interdicto Clericis Conjugio* pullulantia, & à Clero in populum, qui Paſtorum ſuorum ſcelera imitabatur, dimanantia. Quin nec ipſi *Pontifices* à meretriciis amoribus abſtinebant. Turpiſſima ſunt, quæ de *Johanne* XII. ex *Luitprando, Sigeberto, Platinâ, Trithemio, Crantio, & Strada, Centuriatores* referunt. *Habebat,* inquiunt, *Romæ ſuas meretrices Johannes complures, eaſq; genere non ignobiles, cum hiſce per internuncios conſuſurrat. Meretrices igitur Johannis Papæ, apud primates urbis hoc efficiunt; ut Leonem comprehenſum de medio tollere; atq; præclarum ſcilicet Virum Johannem, in Urbem atq; Solium*

um pontificale revocare summis viribus conentur. Leo Herodiarum istarum astutis consiliis comprehensus, mirabiliter tamen evasit carnificum manus atq; ad Imperatorem confugit. Johannes sanctissimus scortorum Leno, votis potitus, publicâ solennitate Caput Romanæ Ecclesiæ constituitur. Sede occupatâ, cum Biblicâ doctrinâ nihil prorsus habet negotii: sed Johanni Diacono Cardinali manum amputat; Aloni scriniario linguam præcidit, duos digitos amputat, & nares ei mutilat. O Apostolici Apostolica prorsus facinora! Imperator istis sceleribus modum constituturus, Romam iter suscipit. Intereà verò Johannes animam suam impuram exhalat; idq; tali ratione, ut Trithemius recenset, dum secum Viri cujusdam Uxore suaviter oblectat, Diabolus (fortè is fuit maritus Uxoris, deprehendens hunc sanctissimum Petri vicarium in ipso scelere: sicut *Platina* apertè scribit, eum confossum esse) *tam gravem ictum ipsi in tempora impingit: ut octavo die post, absq; viatico Corporis & sanguinis Domini mortuus sit; & collectus ad Patres suos, ubi adulteri honoribus debitis afficiuntur.* Hæc illi. Ut ita Historia Israelitica ista huic Ætati ac Periodo admodùm bellè conveniat.

Sed obsecrò, an ὀλίγα, an *pauca* hæc sunt, non modò scelerate vivere, sed insuper etiam salvificam doctrinam corruptelis variis & cultu idololatrico contaminare? Anné exiguum peccatum est spiritualiter fornicari, & eam doctrinam quam Spiritus S. odit, amplecti? Cur itaque dicitur: *Habeo adversum Te PAUCA?* Respondeo: Loquitur SpiritusS. in hac Epistolâ cum Servis & fidelibus suis, in cœtu Pergamensi existentibus, eos reprehendit, non, quòd ipsi teneant doctrinam Balaam, & spiritualiter fornicentur (sic enim non essent Fideles), sed quòd tales apud se habeant; quodque ibi, ubi Satanæ thronus est, permaneant, nec negotiatione factâ peculiarem constituant cœtum, & erroribus publicis se masculè opponant: sed permanentes in loco periculoso, se omnium abominationum participes faciant, suisque liberis & nepotibus lapidem offensionis ponant, ad quem impingentes facilè possint corruere. Hæc sunt illa *pauca*, quæ reprehendit Salvator, eaque vult ut mutentur. *Paucum* enim dicitur, non quasi leve & exiguum esset, communicare aliorum peccatis, & aliis scandalum ponere; sed quòd hoc peccatum suâ naturâ ita comparatum sit, ut illud peccantes nihilominus Fideles esse possint. *Exemplo* res magis clare-

sce

ſcet: Habitat aliquis Orthodoxus, pius, & Deum timens in tali loco, ubi publicus cultus idololatricis Ceremoniis peragitur, & ubi periculum eſt, ut tandem ad fornicationem ſpiritualem vi & ingratiis compellantur incolæ omnes: Hic quidem non potis eſt graſſantibus idolomaniis obſiſtere, ſe tamen à veritate dimoveri haud patitur; interim autem permanet in loco periculoſo, conſcientiâ & fide ſuâ fretus, tandemque decedit; ſed moriens, liberis ſuis etiam atque etiam inculcat, velint in eâ doctrinâ, in quâ ipſe eos fideliter inſtituit, conſtanter usque ad extremum halitum permanere. Patre autem mortuo, liberis tutores dantur à Magiſtratu, (etiam contra Patris teſtamentum & ordinationem,) qui falſæ doctrinæ ſunt addicti, hi tenellam juventutem ceræ inſtar flexibilem, ad idololatricos cultus aſſuefaciunt, & in periculum animæ inducunt. Hunc Patrem, licet ipſe ſalvari potuerit, nihilominus tamen graviter peccaſſe autumo, quòd non ſatis providus liberis ſuis de animæ ſuæ ſalute proſpexerit, & ex locis idololatricis & periculoſis eos maturè eduxerit. Et hoc eſt illud *paucum*, quod tam ſeverâ reprehenſione caſtigat Salvator.

Οὕτως ἔχεις καὶ σὺ κρατοῦντας τὴν διδαχὴν τῶν Νικολαϊτῶν· ὃ μισῶ. *Ita habes & tu tenentes doctrinam Nicolaitarum.*) Omittit hîc *Vulgata* illa verba: ὃ μισῶ, *quod odi.* Quam in præcedentibus doctrinam Balaam dixerat, hîc per exegeſin, Doctrinam *Nicolaitarum*, hoc eſt, *Ethnicorum*, vocitat. Hac enim Periodo nulli tales extiterunt Hæretici, qui *Nicolaitæ* dicerentur: quod ipſum certiſſimo argumento eſt, hoc Nomen *in ſenſu myſtico* eſſe accipiendum, & ita explicandum, prout *ſuprà Cap.* VIII. docui. Quod autem *Pergamenſis Angelus* Eccleſiam univerſalem, ſub tertiâ ætate exiſtentem, repræſentet, *ſuprà* etiam abundè probatum eſt, & inſuper exinde claret, quòd ſui temporis hæreticos non per typum reprehendiſſet, ſed apertè notâſſet, niſi prophetare de futuris voluiſſet.

Eſt itaque *Doctrina Nicolaitarum* nihil aliud, quàm *Doctrina Romana ſive Ethnica* & innuitur hac voce, doctrinam Eccleſiæ, veneno ex putidis Ethnicorum lacunis promanante, fore infectam. Talem autem eſſe *Pontificiam*, jamdudum ſolidè monſtravit *B. Nicolaus Hunnius*, in erudito ſuo libello, cui titulum fecit; *Apoſtaſia*

Romanæ Ecclesiæ; quem tum demum refutare poterunt Pontificii, quando Sol meridie lucere desinet, hoc est, ad Calendas Græcas.

Μετανόησον, εἰ δὲ μὴ, ἔρχομαί σοι ταχὺ, ϗ πολεμήσω μετ' αὐτῶν ἐν τῇ ῥομφαίᾳ τοῦ στόματός μου. *Similiter pœnitentiam age: si quo minus, veniam tibi citò, & pugnabo cum illis in gladio oris mei.* Sic *Vulgata*: melius *Beza*: *Resipisce: sin minus, veniam ad te citò; & pugnabo cum illis gladio oris mei.*) Insigne *Vaticinium* hæc verba continent, de excitandis & mittendis Doctoribus, qui corruptelis Doctrinæ se opponant, gladioque Verbi divini Pseudo-Doctores conficiant, sicque Ecclesiæ puritatem Doctrinæ restituant. *Gladius* enim *Oris divini* est illa Romphæa Verbi divini, quovis gladio ancipiti acutior, teste *Epist. ad Hebr.* IV. 12. Hanc itaque stringendam esse in hæreticos & corruptores comminatur, hosque, ni in Ecclesiæ facie confundi maluerint, seriò resipiscere, erroresque abjicere jubet. Vaticinium hoc *Eventus* comprobavit: Sequenti enim Periodo, fortes Pontificiæ doctrinæ oppugnatores excitavit Deus, illorumque conatum magis magisque juvit & auxit, donec tandem superiori seculo uberrimum Verbi divini jubar, instar acutissimi gladii, hostes veritatis conficeret, & jugularet.

Additur iterum insignis illa Nota: *Qui habet aurem, audiat; quid Spiritus dicat Ecclesiis.*) Quâ utique commonemur, in nostrum usum hanc Epistolam scriptam esse, nec ad illam Asiæ particularem solùm pertinere, quæ hîc annotata sunt. Si enim certò nobis constat, Ecclesiam istius periodi ita à Spiritu S. depictam esse, quasi tot corruptelis sit obnubilata, ut solius Dei oculis manifestum fuerit, ubi tum habitaverit genuina Christi Sponsa: & si certò scimus Ecclesiam propterea reprehensam esse, quòd tulerit illos falsos Doctores, illorumque conatibus sese non opposuerit, &, si denique novimus, in fatis fuisse, ejusmodi corruptelas exoriri, simulque oppugnatores excitatum iri: non patiemur Nos magnificas illas Pontificiorum gloriationes fascinari, quibus continuam jactant *Successionem*, Ecclesiamque veram semper visibilem fuisse, esse, & fore, magno hiatu affirmant. Nec terrebimur, cum veluti Gorgonis caput, Nobis Antiquitatem, & ex antiquitate magnifica Sedis Romanæ elogia objicient; utpotè ex antiquiori & falli nesciâ Scripturâ edocti, Sedem istam *Thronum Satanæ* appellari, &

esse;

esse; & antiqua illa tempora non satis placuisse Spiritui S. sed ab ipso fuisse reprehensa: Et monstrare poterimus, *Reformationem* non tantùm à piis desideratam, sed à Deo etiam in Vaticinio hoc promissam esse. Quo ipso nobis egregium subministratur Argumentum ad oppugnandum Papatum; quod tamen sufflaminabimus & enervabimus, si *particulari Pergamensi Ecclesiæ*, & non (uti debemus) *tertiæ Ætatis* hanc Epistolam assignamus: vix enim Status illius particularis, qualis qualis fuerit, bonus an malus, *Catholicam Christi Ecclesiam* quicquam afficeret; cùm hæc consistere, & insigniter florere potuerit, etiamsi *Pergami* nulla unquam fuisset Ecclesia. Sed si *per Angelum Pergamensem* certam *Ecclesiæ Catholicæ Periodum* (uti debemus) intelligimus, simulque illam ipsam falsâ doctrinâ contaminatam fuisse audimus; manifestè patet, illius Statum maximè afficere universas subsequentium temporum & locorum Ecclesias particulares; ut non sine causâ à Spiritu S. insignis illa clausula Epistolæ annectatur: *Qui habet aures, audiat, quid Spiritus dicat* (non Ecclesiæ, sed) *Ecclesiis*!

Τῷ νικῶντι δώσω αὐτῷ φαγεῖν ἀπὸ τοῦ Μάννα τοῦ κεκρυμμένου, καὶ δώσω αὐτῷ ψῆφον λευκὴν, καὶ ἐπὶ τὴν ψῆφον ὄνομα καινὸν γεγραμμένον, ὃ οὐδεὶς ἔγνω, εἰ μὴ ὁ λαμβάνων. *Vincenti dabo Manna absconditum, & dabo illi Calculum candidum, & in calculo Nomen novum scriptum, quod nemo scit, nisi qui accipit.*) Singulis penè verbis inculcare vult illud, verè Fideles solius Dei oculis esse conspicuos, adeoque Ecclesiam Electorum verè invisibilem: hinc *Manna* cœleste *absconditum* vocat, & *Nomen novum* neminem scire affirmat, nisi qui acceperit illud. Charitas equidem Christiana de omnibus Vocatis (præsertim qui bonis Operibus firmam student facere Vocationem suam) benè nos sperare jubet, illosque in numero Filiorum Dei habere tenemur, de quibus Contrarium non constiterit. Attamen cum falli queamus, & hypocriticâ Fidei simulatione decipi, verissimum manet, verè Credentes, præter Deum, sibi solis indubitatò notos esse, hacque πληροφορίᾳ gaudere, quòd firmiter sentiant, se esse justificatos, esse in gratiâ, esse filios Dei. Quam justificationem, & adorationem salutarem foris tamen demonstrare indubiè haut possunt, nisi per Opera bona; quæ

tamen an ex puro, an verò ex hypocritico corde profluant, nemo nosse potest, nisi solus Deus. Ut & hinc ridiculi sint Papistæ, quando tantoperè *Visibile Caput Ecclesiæ* jactitant; de quo tamen indubiè scire haud possunt, an sit verum Membrum Ecclesiæ, nec ne?

Respicitur autem hac *Promissione* ad Cibum Israelitarum, quo Deus ipsos in deserto cibavit, qui, ex admirabundi populi interrogatione: מן הוא *quid hoc est?* nomen *Mannæ* sortitus est, miræque erat dulcedinis, & *Christum panem vitæ* adumbrabat, ut patet ex *Exod.* XVI. 15. *Joh.* VI. 41. I. *Cor.* X. *v.* 3. *Absconditum* autem propterea vocari autumant Interpretes, quòd hoc modo respiciatur ad cibi istius reliquias urnâ aureâ collectas, & in arcâ, vel juxta arcam repositas, *Hebr.* IX. 4. Quam explicationem non improbo, sed accepto, & typicè eâ notari dico *Justitiam, pacem & gaudium per Spiritum S. Rom.* XIV. 17. quæ Vitæ æternæ prægustum Credentibus exhibent, & à filiis hujus seculi omninò absconduntur: quin illi ipsi, qui eâ dulcedine fruuntur, Mundo absconditi sunt, donec ipsorum Vita, Christus patefactus fuerit, tùm & illi *cum eo patefient gloriosi, Coloss.* III. *v.* 3. & 4.

Altero *Promisso* respicitur ad morem in judiciis apud Veteres usitatum, *ubi Calculo candido* in urnam injecto absolvebant insontes, *nigro* autem sontes damnabant: de quo more *Ovidius Metamorph.* XV.

Mos erat antiquis niveis nigrisq; lapillis
His damnare reos: illis absolvere culpâ.

Hinc *Alcibiades* in judicio Capitis, *Plutarcho* teste, ne matri quidem credere voluit, μὴ πῶς ἀγνοήσασα τὴν μέλαινα βάλῃ ψῆφον ἀντὶ τῆς λευκῆς, *ne forsan imprudens nigrum calculum poneret pro albo.* Promittitur ergò *Vincentibus*, hoc est, *finaliter credentibus*, futura Absolutio, tàm in die pantocritico, ubi Omnes filii Dei revelabuntur, quàm in judicio Ecclesiastico, in quo illi ipsi, qui olim ut Hæretici & impii propter Veritatem condemnabantur, læsæque Majestatis Ecclesiasticæ postulabantur, à posteriorum temporum fidelibus absolventur. Ut ita hæc promissio simul vaticinium contineat, futuris subsequentibus Periodis complendum.

Licet igitur Oppugnatores Papatûs olim ut impii sint condemnati; hodiè tamen illos ipsos Orthodoxa Ecclesia absolvit, & in catalo-

catalogo Testium Veritatis ponit: quo ipso hæc promissio ex parte impletur. Sed insuper *Nomen novum* scriptum in Calculo promittitur, quod nemo noverit, nisi qui accipiat. *Calculus absolutorius* triplici modo datur: in foro Conscientiæ; in judicio Ecclesiastico; & demum in die Extremo: ubique Calculo Nomen novum inscriptum est. In *Foro Conscientiæ* nôrunt regeniti & Confessores, se dici & esse *Filios Dei*, quod ipsis solis cognitum: *Videte, qualem charitatem dedit nobis Pater, nempe ut* FILII DEI *vocemur, propterea Mundus non novit nos, quia non novit eum*, inquit *B. Johannes* I. *Epist.* III. *v.* 1. In *Judicio Ecclesiastico* autem Nomen novum datur, quando Orthodoxa Ecclesia discretionis gratiâ, Appellatione aliquâ novâ insignitur, quod Nomen quàm præclarum sit, illi soli sciunt, qui isto gaudent: Ut olim Orthodoxi vocabantur ab hostibus suis *Homousiani, Melcitæ, & Trinitarii*; hodiè verò *Confessionistæ, Protestantes, & Lutherani*: quorum tamen nominum pios & fideles non pudet, sed quàm præstantia illa sint, soli nôrunt, qui iis gaudent. In *die* verò *pantocritico*, *Benedicti Patris* audient, *Matth.* XXV. quod Nomen quantum gaudium apportaturum sit, tum demum cognoscemus, cum accipiemus illud.

Et tantum de Epistolâ ad Angelum Pergamensem scriptâ.

Sequitur nunc *Sigillum Tertium Apoc.* VI. *v.* 5. *& 6.* descriptum, sic habens: Καὶ ὅτε ἤνοιξε τὴν τρίτην σφραγῖδα, ἤκουσα τοῦ τρίτου ζώου λέγοντος, ἔρχου καὶ βλέπε. Καὶ εἶδον, καὶ ἰδοὺ ἵππος μέλας, καὶ ὁ καθήμενος ἐπ' αὐτῷ, ἔχων ζυγὸν ἐν τῇ χειρὶ αὐτοῦ. Καὶ ἤκουσα φωνὴν ἐν μέσῳ τῶν τεσσάρων ζώων λέγουσαν, χοῖνιξ σίτου, δηναρίου, καὶ τρεῖς χοίνικες κριθῆς, δηναρίου· καὶ τὸ ἔλαιον καὶ τὸν οἶνον μὴ ἀδικήσῃς. *Et cùm apperuisset Sigillum tertium, audivi tertium Animal dicens: Veni & vide. Et ecce! Equus niger: & qui sedebat super illum, habebat stateram in manu suâ. Et audivi tanquam* (*tanquam* in græco textu non habetur, sed est additamentum Vulgatæ) *vocem in medio quatuor Animalium dicentium* (rectius *dicentem*:) *Bilibris* (in græco est *Chœnix*) *tritici denario, & tres bilibres hordei denario: & Vinum & Oleum* (potiùs transpositè, *Oleum & vinum*) *ne læseris.*) *Sigillum tertium.*

Difficul-

Difficultatem Annonæ portendi hac Visione communiter statuunt Interpretes; sed in eo variant, utrum de Fame naturali, an spirituali agat Vaticinium, his hoc, aliis illud affirmantibus. Sunt quidam præclari Viri, quibus tricis se involvere videntur illi, qui ad allegorias de fame spirituali hoc loco descendunt, cùm ipsa verba, quod inquiunt, rerum vestigia, sensum de naturalis annonæ caritate suppeditent, insuperque Vaticinio complementum respondeat. In cujus rei gratiam, famem & pestem, tempore Gallieni & Maximini ex *Eusebio*, itemque tempora Gregorii M. ut & Evagrii testimonium allegant: & pulcrè consonare hanc pœnam capitalem antecedenti bello, & consequenti pesti, morbisque Epidemiis, dicunt; cùm nimirum non tantùm pro pœnis Cardinalibus habeantur Bellum, Fames, & Pestis, II. *Sam.* XXIV. *v.* 13. sed & nexu fraterno ut plurimum se insequantur.

Sed, pace tantorum Virorum, contrarium sentire liceat: neque id sine justâ ratione, & absque causâ. *Primò*: de Annonæ naturalis difficultate agere Vaticinium, non satis *Scopo hujus Libri* convenit, qui est, *docere Fata Ecclesiæ.*

Fames autem, & annonæ caritas, utut inter Christianos grassetur, hancque vel illam premat Provinciam, nullo tamen modo afficit Ecclesiam, aut ullam in eâ parit mutationem. Quæ verò in hac Prophetiâ prædicuntur, *Ecclesiam* afficere debent, & aliquam mutationem ipsi inferre: qualia sunt *Bella, & mutationes Regnorum, superiori Sigillo* indicata. Semper enim mutationes Imperiorum Ecclesiam afficiunt, vel nocendo, vel statum tranquilliorem largiendo, vel Ecclesiæ hospitium transferendo: quare etiam propter Ecclesiam ejusmodi mutationes fatales prædictæ sunt. Secus autem cum *Fame* res habet, quæ vix aliquid mutationis inferre solet Ecclesiæ.

Fames equidem sub Claudio Imperatore, cujus in *Actis* fit mentio, Ecclesiam aliqualiter afficiebat, quia tum temporis Ecclesia Judaica, à quâ Verbum Domini ad reliquas dimanavit, ex publico, cùm privatis possessionibus divenditis, ut ex *Act.* XI. *v.* 23. & 30 & ex *Epistolis Pauli* liquet, unde viverent, non haberent, alebatur, ita ut omnes Ecclesiæ ad eam sustentandam contribuerent. Sed illa annonæ caritas hanc revelationem antecessit, & proinde

inde hoc loco nequaquam potest intelligi. Quòd si ergo ejusmodi Fames ex Historiis ostendi posset, quæ Ecclesiam Dei insigniter affecisset, aut notabilem mutationem intulisset, (qualis vel illa fuit, quæ tempore Josephi, Ægyptum & terram Canaan premebat, & cujus occasione Israelitæ in Ægyptum descendebant & ita Ecclesiæ hospitium mutabatur) tum Expositioni huic aliqua probabilitas conciliaretur: quanquam nec hoc solùm sufficeret.

Sed insuper *secundò* demonstrandum foret, illam Famem, de quâ ex Historiâ constaret, etiam in hanc ipsam hujus *Sigilli tertii* Periodum incidere, & tanti fuisse ponderis, ut digna sit habita, de quâ Ecclesia illustri hac revelatione admoneretur; & sic quidem, ut ista prædictio, etiam post complementum demum intellecta, nihilominus tamen Ecclesiæ singularem fructum adferat. Hoc si demonstrari nequit, insignis nascitur ratio, quæ hanc Prophetiam de Fame naturali intelligere prohibet. Demonstravi autem *suprà Cap.* VI. *hujus Operis*: Sigilla cum Tubis, quoad *Synchronismum*, coincidere, illorumque *Terminum à quo* esse Visibilem Spiritûs S. Effusionem super Apostolos; *Terminum* verò *ad quem*, Finem Mundi, adeoque hæc Sigilla totum Ecclesiæ Novi Testamenti tempus comprehendere. Prodit autem sub Sigillo tertio hic *Eques nigro equo insidens*, tertiumque Animal hunc spectandum exhibet: ut ita complementum Vaticinii ad tertiam Periodum necessariò alligetur, nec eam aut præverti, aut subsequi, sed præcisè in eam incidere debeat. Etiamsi jam igitur inæquales horum Sigillorum (quod tamen fieri haud debere *suprà* probavi) statueremus periodos, nihilominus tamen illi, qui nobis hac vel illâ Fame Vaticinium impletum esse persuadere vellet, firmiter probare incumberet, ea ipsa *tempora* in *Sigillum tertium* incidisse. Nec enim *simul & uno tempore* (quoad impletionem) Sigilla aperiuntur, aut inter se confunduntur: sed se invicem consequuntur, & prout numeris distinguuntur, ita ratione temporis differunt. Quare & διακρίσεως ἕνεκα *quatuor illa Animalia*, diversa tempora denotantia, introducuntur, per vices ad spectandum invitantia.

Qui itaque cùm ad Famem Galieni Imperatoris, tùm Gregorii Magni Papæ, temporibus sævientem, hoc Vaticinio respici autumant, eo ipso statuere coguntur, ista tempora in Sigillum tertium

tium incidere, illiusque Periodum constare ad minimum trecentis & quinquaginta annis. Imperator enim *Gallienus*, consors Imperii factus est Anno Christi 254. *Gregorius* verò in Pontificem electus Anno Christi 590. die 13. Septembr. seditque annos XIII. & menses sex, tandemque mortuus est Anno Christi 604. die 12. Martii, ut *Calvisius* annotat. Ducenti ergò & quinquaginta quatuor anni ab annis sexcentis & quatuor abstracti, relinquunt Annos trecentos & quinquaginta, quantum nimirum inter imperium Gallieni, & mortem Gregorii Papæ intercessit. Sed ista tempora Sigilli tertii Periodum, quæ Anno Christi 719. incipit, & ejusdem Æræ anno 1061. finitur, minimè attingunt: uti cuivis è calculo nostro, *suprà Cap.* VI. fusè probato, constare potest.

Et si alicui forsan noster ille Computus, propter præconceptas opiniones, minus placuerit, age alium proferat, nostro accuratiorem: sed eâ lege, ne illum pro lubitu confingat, sed ex ipsâ Apocalypsi eruat ac probet. De *Termino* enim, quo Vaticinium circumscribitur, prius constare debet, quàm ad complementum ex Historiis provocare possumus. Aliàs meras sectabimur conjecturas, & arenoso, quod facilè subrui poterit, innitemur fundamento.

Nec est quòd dicamus: hanc Visionem, omnis termini expertem, non ad certum aliquod tempus restringi debere; sed simpliciter solummodò rem ipsam eâ Visione repræsentatam, quandoque eventuram esse, indeterminatè notare. Id enim Apocalypsin inexplicabilem, & totam hanc Prophetiam ambiguam redderet. Semper quippe dubitandum foret, num prædictio hæc vel illa sit impleta, nec ne? Exempli gratia: an venerit Eques ille tertius, nec ne? an præterierit Fames prædicta, nec ne? & an non fortè alia gravissima ad quam digitum intendat Spiritus Sanctus, implenda supersit, citiùs aut tardiùs ventura? Ex quo satis patet, quàm necessarium sit, unamquamque Visionem, & inter alias etiam hanc ipsam, de quâ agemus, certis temporum limitibus & cancellis circumscribere & concludere.

Ut tamen liberales simus, & optionem relinquamus unicuique amplectendi quod voluerit, ita ut vel termino certo includat hanc Visionem, aut indeterminatè solummodò ad rem prædictam sit attentus: quæro solùm: si hoc loco naturalis annonæ difficultas signi-

significatur, quodnam emolumentum ex hac prædictione Ecclesia vel fidelis aliquis concipere potest? & quæ fuit intentio Spiritûs S. revelantis? hæc enim ubique, ceu Scopus Scripturæ sacræ intentus, & Sensus genuinus sedulò investigari debet. Si præmonere voluit Fideles, illisque consulere, quemadmodum in *Actis* per *Agabum* factum est, tum suo fine est frustratus, nec assecutus quod voluit: quia, cùm Vaticinium non claris & perspicuis verbis, sed ænigmaticâ, eaque satis difficili Visione constet, ante impletionem non fuit intellectum: Post complementum autem hodiè intellecta, nihil utilitatis ad Ecclesiam transmittit, quia antea satis certò, absque hac obscurâ revelatione, novimus, Deum peccata cardinalibus istis pœnis, Bello, Fame, & Peste, solitum esse punire, illasque pœnas ultimis temporibus præcipuè grassaturas, ex clarissimâ, nullisque involucris implicatâ prædictione Christi, scimus. Sapientiæ ergò divinæ, quin Titulo hujus Libri, adeoque ipsi Visioni, tanto apparatu descriptæ, incongruum & indignum videtur, *Famem aliquam naturalem* hoc loco denotari. Sed si constitutâ certâ Periodo de *Fame Spirituali*, falsisque Doctoribus, Ecclesiam denigrantibus Prophetiam exponimus, tùm non tantùm Visioni cum Epistolâ Angelo Pergamensi scriptâ, & Tubicinio tertio bellè convenit; sed insuper utilitas hujus Revelationis à Deo intenta manifestò patet, quæ est, ut omni tempore ab *illo Equite*, hoc est, *Doctrinâ illâ impurâ*, eo tempore ortâ, caveamus. Et insignem usum præbere potest, contra illos morosos Patrum & Antiquitatis jactatores, qui nobis glandes & siliquas superioribus seculis comestas, pro pane similagineo objicere audent. Ut ita etiam de hac ipsâ particulâ Apocalypseos, quod de totâ prædicatur, ingeminare possimus: *Beatus, qui legit, & servat hæc*! Quicunque enim sensum hac Visione intentum intelligit, & observare studebit: is Ecclesiam illâ Periodo, de quâ agit Vaticinium, valdè deformem & squalidam fuisse cognoscet, & à corruptelis & superstitionibus iis temporibus ortis, magnoque agmine invalescentibus, sibi sedulò cavebit, neque *Antiquitatis* autoritate & prætextu se fascinari patietur.

Nec dubito, quin hæc ipsa Visio aliquando, cùm subsequens Eventus meam Apocalypseos expositionem verificaverit, & confirma-

firmaverit, fortissimum contra hostes Veritatis præbitura sit telum, suamque utilitatem præstitura.

Tertiò, Apertione Sigillorum non tantum notatur, hoc vel illud futurum esse; sed insuper etiam illo ipso facto, signata aliqua Scriptura resignatur, ut *legi*, hoc est *intelligi* possit: sive, ut clarius dicam, Locus aliquis obscurus in Veteri Testamento, illustratur, & quod ibi prophetatum est, adimpleri ostenditur: hoc enim est *Sigillum Libri scripti aperire.* Jam si statuimus hac Visione *Famem naturalem*, eamque tam obscuram, ut vix Literatioribus in Studio Historico versantibus, in oculos incurrat, innui; quem quæso locum V.T. obscurum dicemus hac Visione illustrari? Sed si de *Cultibus idololatricis*, eâ Periodo Ecclesiam denigrantibus Textum exponimus; facilè videbimus quô respexerit Revelator Spiritus Sanctus.

Suprà autem *Cap.* VIII. *huius operis*, dixi, *Johannem hos quatuor Equites*, primis quatuor Sigillis introductos, à Prophetâ *Zachariâ* mutuatum esse, & quidem ex *Capp.* I. *à v.* 8. *ad* 11. *&* VI. *à v.* 1. *ad* 8. quod etiamnum assero. Facile enim id ex notione additâ colligetur: dicuntur quippe isti *Equites* ii esse, *quos Dominus misit, ut perambulent universam Terram*: quod prædicatum etiam à Prophetâ *Cap.* IV. *v.* 10. *septem Lucernis in aureo Candelabro lucentibus*, itemque *Oculis Agni*, in *Apocalypsi Cap.* V. *v.* 6. seu *septem Spiritibus*, universam N. T. Ecclesiam repræsentantibus, tribuitur, de quo fusè *suprà Capite sexto* actum est.

Eadem autem Prædicata, idem monstrant Subjectum: præsertim in hac ænigmaticâ & intricatâ materia. Unde satis manifestum evadit, *his Equitibus* nihil aliud quàm ipsum *Statum Ecclesiæ* adumbrari, qui non semper uniformis extitit aut existet; sed pro re natâ variat. Modò enim Ecclesia sanguine madens *rubet*, modò corruptelis falsisque doctrinis squalet ac *nigrescit*; modò superstitionibus invalescentibus ægrotans & moribunda quasi *pallet*; modò denique pristinæ puritati & sanitati restituta nitet & *candicat*. Cùm ergò hac Periodo tantæ Corruptelæ, & fornicationes spirituales, (ut in explicatione *Epistolæ* ostensum) Ecclesiam contaminârint, eo ipso impletum est illud, quod olim his *nigris Equis* Propheta, (seu potius Spiritus S. per Prophetam) figurare voluit; simulque patefactum est, quid istâ diversitate colorum, putà albedine, rubedine,

& nigredine notaretur: hacque repetitione Apocalypticâ docetur, illud *Zachariæ* Vaticinium, Tempora Novi Testamenti (ut pleraq; hujus Prophetæ) respicere.

Nec hic locus Zachariæ solummodò lucem accipit ab hoc Equite: sed etiam illud *Hoseæ*, *Cap.* XII. *v.* 7. χαναὰν ἐν χειρὶ αὐτοῦ ζυγὸς ἀδικίας: *Chanaan in manu ejus Statera dolosa, calumniam dilexit*, seu *opprimere dilexit*, ut Fontes habent: ad hanc Periodum delineandam in typum eligitur. Invehitur enim toto illo *Capite* Propheta in Cultum idololatricum ab Ephraimitis in Bethel institutum. Quemadmodum ergò Balaami facinus in *Epistolâ*; sic Ephraimitarum idololatria in *Sigillo* typicè allegatur.

Quod igitur Propheta Ephraimitis idololatricis olim dixit, id, hac repetitâ accomodatione factâ, sibi dictum putent ii, qui Errores hac Periodo ortos, instar Ephraimitarum, hodiè poliunt ac palliant. Nec enim ζυγὸς, *libra* sive *statera* primùm, aut frustrà in manu hujus Equitis conspicitur; sed ex *Hoseâ* ad rem eandem denotandam adducitur. Nisi asserere malis, sub personâ *Ephraimitarum*, jam olim istum *Videntem* & vidisse & reprehendisse *nostros Idololatras*.

Quarto denique, non habeo, quod metuam, ut me tricis involvam, si de *Fame Spirituali* Visionem exponam, propter *versiculum sextum*: nec enim quid obstet video. *Fames* in Scripturâ S. non tantùm de penuriâ panis, sed etiam *de penuriâ Verbi divini* prædicatur: ut *Amos*. VIII. *v.* 11. *ad* 14. *Ecce dies venient, dicit Dominus, & emittam famem in terram: non famem panis, neq; sitim aquæ; sed audiendi Verbum Domini. Et commovebuntur à mari usq; ad mare, & ab Aquilone usq; ad Orientem: circumibunt quærentes Verbum Domini, & non invenient. In die illâ deficient Virgines pulchræ, & adolescentes in siti. Qui jurant in delicto Samariæ, & dicunt: Vivit Deus tuus Dan, & vivit via Bersabee: & cadent, & non resurgent ultrà.* Et quid? si ad hunc ipsum locum *Amosi Apocalypsis* oculum intenderet? (præsertim cùm *Tubicinium tertium*, huic Sigillo synchronum, ob infectas absinthio aquas, multos periisse referat, & hoc modò de *Siti spirituali* conqueratur, quemadmodum Sigillum de *Fame*) hoc enim in *Capite* Propheta Idololatriam Fami comparat; monetque & Virgines pulchras & adolescentes defuturos, ob Verbi divini inopiâ. *Hoc enim bonum ejus, & pulcrum ejus* (scil. populi Dei), *frumentum electorum, &*

Vinum germinans Virgines, *Zachar*. IX. *v*. 17. Certè & hic Propheta τῦ ζυγῦ ἀδικίας *staterae dolosae* in hoc ipso allegato *Capite* mentionem facit. Cùm ergò *Frumentum & Triticum*, tàm Verbum Dei, quàm filios regni, in quorum cordibus illud continetur & regnat, mysticè denotet, ut ex *Psal*. LXXII. *v*. 16. *Jerem*. XXIII. *v*. 28. & XXXI. *v*. 12. *Ezech*. XXXVI. *v*. 29. *Hos*. II. *v*. 22. & XIV. *v*. 8. *Matth*. III. 12. & XIII. 25. & 29. 30. aliisque locis perquàm multis liquet: quid aliud tritici & hordei penuria declarabit, quàm *Sermonem Domini pretiosum fuisse in diebus illis*, *minusq́; manifestam visionem*, 1. *Sam*. III. *v*. 1 simulque *Sanctos & fideles inter filios hominum defecisse*, *Psal*. XII. *v*. 1. *Ablatum virum fortem*, *judicem*, *Prophetam*, *& Vatem*, *& senem*: *Principem super quinquaginta*, *& honorabilem vultu*, *& consiliarium*, *& prudentem eloquii mystici*, *Esa*. III. *v*. 2. Uno verbo ut dicam: Rariores admodùm fuisse puros Doctores illo aevo, & quò spectabiliores donis, eò rariores. Interea tamen *Oleum & Vinum* (Medicinam Samaritani, *Luc*. X. v. 34.), hoc est, Verbum Dei, Legem & Evangelium, inter tot corruptelas, sartum tectum conservata esse à Deo, nec ut aut abolerentur, aut corrumperentur permissum: sed licet σιτομέτριον ex praecepto Christi *Luc*. XII. *v*. 42. non satis justè distribueretur, ac parciùs quàm fas esset Veritas praedicaretur; tamen & Triticum & Hordeum (inter paleas quanquam) conservata sunt: ut libenter cum *B. Luthero* fateamur: *Omne bonum sub Papatu remansisse*. Et sanè *Eventus* hanc expositionem satis probabilem reddit, si modò Historiam Ecclesiasticam inspicere lubet. Fuerunt nimirum rariores hac aetate Doctores puriores, nullusque invenitur, qui non naevos habuerit insigniores, & errores erraverit sat crassos: ut *plumbeam & bovinam Periodum* hanc merito vocare possis. Unde *Johannes Schopfius*, *in Academ. Jesu Chr. ad Class. Decimam* sic praefatur: *Perventum est*, *Deo dante*, *ad Classem seu Seculum Decimum hujus nostri instituti*. *Status autem Religionis & Ecclesiae in decimo hoc Seculo fuit admodum infelix*. *Idq́; propter* NIMIAM PENURIAM AC INOPIAM DOCTORUM, *seu eruditorum in Ecclesiâ* ANTISTITUM. *Cùm enim omnia* (*ut ex Historiis cernere licet*) *passim Ceremoniis abundarent*, *iisq́; Ecclesiae hinc inde non tantùm essent repletae*, *sed etiam oneratae*, *factum est*, *ut Doctrinae fermè nulla*, *aut sanè exigua esset cura*. *Hinc etiam Pauci admodùm reperiuntur in hoc Seculo excellentes Doctores*, *sive Patres*: *quorum quidem Scripta conservata*, *&*

ad posteritatem essent transmissa. Quia verò Dominus nunquam patitur Lucem Evangelii *sui planè ac omninò extingui, ideo etiam hoc tempore, vel aliquos tamen, eosq; ut dictum est, Paucos Viros eximios conservavit Deus, qui nonnullos in Religione Articulos rectè & fideliter tradiderunt, licet stipulas ex prioribus Seculis acceptas, simul etiam retinuerint.* Hæc ille. Consona his habent *Centuriatores* Magdeburgenses *in Præfatione ad Centuriam* X. *Non dubium est,* inquiunt, *Decimo etiam hoc seculo Ecclesiam Dei in terris extitisse: sed quænam, & ubi ea fuerit; id ferè difficile inventu est. Nam qui pulcherrimum Ecclesiæ Nomen sibi vendicabant, & ad ipsum Clavum (quod dicitur) sedebant, innumeris Antichristi notis erant infames: utpotè patrocinio errorum, idolomaniis, Sacramentorum abusu, Vitæ impuritate, Dominatione seculari juxta morem Gentilium, Persecutione rectè sentientium. Grassabatur Ecclesiasticus Rex, qui Romanam sedem occupabat, passim in omnes omnium Nationum Ecclesias, multò quidem superbius, quàm ullus Cæsar, seu Monarcha Romanus. Verùm non est dubium, in illo ipso cœtu quosdam fuisse rectè sentientes, & juxta Verbum Dei patefactum, Deum invocantes & colentes: licet potissima hominum pars receptas vulgò Superstitiones sectarentur. Nam Baptismi substantialia mansere, & Bibliorum adhuc aliquis usus. Sunt etiam ex doctrinâ de Christo aliqui moniti, ac per Spiritum S. illuminati, ut fidem in Christum ponerent, ab eoq; sine omni propriorum Operum merito, remissionem peccatorum, justitiam & Vitam æternam expeterent.* &c. &c. Hæ querimoniæ abundè satis testantur, nos rectè hanc Visionem *de Fame spirituali*, seu corruptelis Doctrinæ & superstitionibus explicasse: accuratè enim faciem Ecclesiæ, hac Periodo existentem, nobis depingit; & quidem non per intervallum unius aut alterius anni, (quod fieret, si *de fame naturali* ageret Prophetia) sed per tempus benè longum, integram nempe Periodum, quæ 343. comprehendit annos. Et insuper ille Eques adhuc hodiè Ecclesiam affligit: orta nimirum hac Periodo idolomania adhuc hodiè suos habet basiatores, eosque benè multos, satisque potentes. Ut satis patere possit considerantibus, quam Spiritus S. Ecclesiam de hoc Equite admonere voluerit.

Quò tamen res magis clareat, *Versiculum sextum* paulò intentiori oculo aspiciemus, & perpendemus, num Verbis istis insignis aliqua *Fames* (qualis qualis sit, sive naturalis, sive spiritualis) indicetur?

Ante

Ante omnia autem de *mensurâ Chœnicis* dispiciendum erit, quæ ad pecuniam hoc loco indicatam collata, quantitatem pretii, ex quâ de magnitudine hujus famis judicium fieri poterit, luculenter ostendet. Qualem autem Mensuram propriè exhibeat *Chœnix*, ex Sacris ostendi non potest. Siquidem semel tantùm in N.T. hæc vocula, nimirum *hoc loco*, occurrit. *Septuaginta* equidem illâ usi sunt, *Ezech.* XLV. *v.* 10. 11. quando sic vertunt: τὸ δέκατον τοῦ γομὸρ χοῖνιξ. Sed confundunt illi vocem חמר *chomer*, cum עמר *homer seu gomer*, quæ tamen diversæ sunt Mensuræ. חמר *chomer* enim *decem Epha* continet: sed decima pars τοῦ *Epha* est τὸ עמר *homer seu gomer*. Apud *Ezechielem* autem loco allegato in Ebræo habetur vocula חמר *chomer*, quæ noster *Chœnix* esse nequit: aut, si acceptaretur, non insignis aliqua caritas, sed potiùs maxima vilitas his verbis indicaretur. Ex profanis autem Autoribus constat, *Chœnicem* fuisse mensuram demensi quotidiani, quod *Lucas* XII. *cap.* σιτομέτριον vocat: ἡ γὰρ χοῖνιξ, inquit *Suidas*, ἡμερήσιος τροφὴ, *Chœnix est Cibarium diurnum*: & videtur ferè quantitatem τοῦ עמר *Gomer* exæquasse. Singuli enim *Gomer Mannæ* singulis Israelitis in demensum diurnum à Deo assignantur, *Exod.* XVI, 16. 17. 18. Quòd si jam ex 2. *Reg.* VII. *v.* 1. 16. & 18. præsupponatur, tempore vilitatis annonæ (qualis illo loco post Famem magnam describitur, ut ex admiratione Ducis *v.* 2. liquet) *modium seu satum* Tritici, (סאה *seah*) *Siclo* veniisse: facilè, computatione factâ, quantitas hujus caritatis in hoc loco Apocalyptico patebit. Calculum autem ad nostræ monetæ valorem reducamus, quò magis conspicuum fiat pretium illud. *Siclus* ergò *Regius*, qui eò loci est intelligendus, valet quartam partem Imperialis, grossiculos nimirum nostrates 30. *Denarius* verò ein Schreckenberger/continet grossiculos 16. Jam dico: *Seah, seu tres Gomer cum unâ tertiâ* (tantum enim *Seah* continet) *Tritici venit triginta grossiculis, quanti veniet Gomer, seu Chœnix?* & factâ operatione, *novem grossiculos* invenio. Hoc autem loco *Chœnix* seu *Gomer* æstimatur pro sedecim grossiculis, & sic septem grossiculis carior est illo Samaritano.

Sic etiam dico: *Duo Seah, seu sex Gomer duabus tertiis Hordei veneunt* 30. *grossiculis; quanti venient tres Gomer seu Chœnices*, & factâ operatione, invenio 13. *grossiculos cum dimidio*. Hoc autem lo-

co tres Chœnices Hordei pro denario, seu 16. grossiculis proclamantur: differentia ergò est duorum grossiculorum cum dimidio. Ex quibus perpensis, & inter se diligenter collatis, videre est, ex verbis illis Apocalypticis, prout nudè considerantur, vix famem aliquam notabilem posse demonstrari. In re frumentariâ enim non tanti æstimatur, si pretium tempore vilitatis consvetum, ad duplum, vel triplum etiam ascendat. Modius sanè farris, Anno hujus Seculi trigesimo nono, *quindecim Argenteis Bohemicis* veniit, hodiè *Talerum* (quem vocant) h.e. 24. Argenteos valet. Anno autem 1638. quadragesimo secundo, tertio, & quarto, ne tribus quidem Taleris, hoc est, septuaginta duobus Argenteis Bohemicis comparari potuit: nec tamen quisquam de ullâ fame aut penuriâ tum temporis conquestus est, licet inter pauperiores de intenso pretio interdum audirentur querelæ. Quin inter singularia beneficia à Deo, huic Provinciæ *Silesiæ*, hoc trigesimali, quod Germaniam concussit, Bello, præstita, numeratum fuit, quòd nunquam Famem sit perpessa, quæ alias Provincias satis duriter exercuit, ita ut ad Carnes humanas nonnullibi deventum sit. Et nihilominus tamen memini Anno hujus Seculi vigesimo secundo modium farris sex, septem, octo, quin aliquando decem etiam emi Imperialibus; ita ut nimius valor pauperiores glandibus & milio vesci coëgerit: quemadmodum & ipse tum puer, pane tertiam partem è glandibus confecto cibatus fui. Non tamen illa penuria & Fames tanta fuit, ut aliarum Regionum angustias, & Fames in Historiis annotatas æquare potuerit. Satis ergò patet, leviculum quidpiam hoc loco prædici, si *verba* solùm *hujus versiculi* urgeamus: quia pretium Tritici nec dum ad duplum ascendisse memoratur; Hordei verò penè idem fuisse, quod olim Samariæ. Unde igitur, *inquies*, probabitur, hac Visione *Famem* indicari? *Respondeo*: ex totâ Visione cum omnibus suis circumstantiis consideratâ, puta ex *Colore Equi*, *ex Staterâ* quam Eques in manu tenuit, inprimis tamen ex typicè allegatâ *Historiâ*. Docui enim *supra Observat.* VI. Apocalypsin solere Lectorem remittere ad Historiam aliquam in populo Israelitico gestam, & tum Analogiam quandam intercedere isti Periodo, de quâ agit Apocalypsis, cum isto tempore, quo olim gesta est Historia. Idipsum hoc loco fit: proclamatione enim istâ respicitur ad Vaticinium & prædictionem *Elisæi*, qui

& pretium tritico & Hordeo ſtatuit, in magnâ illâ fame Samariam affligente, II *Reg*. VII. *cap*. Hac allegatione igitur Analogia quædam illius temporis cum hac Periodo oſtenditur, quæ utique ſatis conſpicua eſt, ſi modò rem juſtè penſitare voluerimus. Ibi enim Samariæ magna erat Fames: & hac periodo maximè fames ſpiritualis graſſata eſt. Ibi caput aſini 80. argenteis veniit; & hac ætate *capita Aſinina* pluris, quàm decet, æſtimata ſunt. Ibi fimus columbarum fuit in pretio; & hoc ævo, ſi quis ſimplex Scriptorculus aliquid excacaret, pro ſale ſapientiæ venditatum fuit. Nihilominus tamen, miraculi inſtar (quemadmodum olim Samariæ) Eccleſia eſt conſervata: &, inter maximas has anguſtias, & Triticum, & hordeum, & Oleum, & vinum, hoc eſt, ad Vitam ſpiritualem neceſſaria, haberi potuerunt; etiamſi à leproſis ea petenda fuerint Doctoribus. Adduntur autem, in proclamatione iſtâ, tritico & hordeo, *Oleum* etiam & *Vinum*; ut digitus intendatur ad Sacrificia Moſaica, ubi ſingulis Sacrificiis *decima pars Ephi Similæ Oleo* conſperſæ, quod menſuram habuit quartæ partis *Hin*, ejusdemque menſuræ *Vinum*, addebantur, *Numer* XV. *v*. 4. 5. Ut moneamur, etiam ſub his tenebris & in tantâ defectione, nihilominus tamen reliquos fuiſſe nonnullos, qui vera Deo offerrent Sacrificia, hoc eſt, Cultum præſtarent à Verbo divino præſcriptum.

Sed & aliud quippiam ſub hoc ænigmate latet: Prodiit nimirum hac Ætate ſive Periodo *Mulier illa*, Impietas, ſeu falſa doctrina, *in Epha* demenſa & appenſa, juxta *Zachariæ* vaticinium *Cap*. V. (de quo *alibi σὺν θεῷ* uberius dicemus) Epha autem decem continet Gomor. Hinc ut nos ad illud Vaticinium reduceret Spiritus Sanctus, non modò Equiti huic *Libram ſeu ſtateram* tribuit, quemadmodum apud Prophetam אבן *lapis*, hoc eſt pondus plumbi conſpicitur. Nec ſolum de menſurando Tritico & hordeo, per Chœnicem, agit, quemadmodum *Zacharias* de menſurandâ falsâ doctrinâ per Epha: ſed tale etiam Monetæ genus eligit, quod *numerum Denarium* (valet enim decem aſſes) & valore & ſono penè referret: quò oſtenderet Doctrinam Evangelii in ſimplo; doctrinam de Lege & bonis operibus in triplo; Superſtitiones verò in decuplo eâ ætate fuiſſe admenſa: Et ſic, ad partem unam tritici, ſive Doctrinæ de Evangelio, decem partes Corruptelarum; itemque ad tres

Hor-

Hordei, seu doctrinæ de bonis Operibus, decem partes Superstitionum fuisse admixtas. Percurre, *Lector*, Historiam Ecclesiasticam, & sic se rem habere fateberis.

Restat tamen ut moneamus, quid sibi velit, quòd non Tertium Animal, huic Equiti, æquè ut anteà Spectatori acclamet, & pretium Annonæ statuat; sed *Vox è Medio Animalium auditur*? quod absq; causa factum esse vix quisquam crediderit. Missis autem aliorum explicationibus, in mentem tibi revoco, *Lector*, ea quæ *suprà Cap.* VI. annotata sunt, ubi ex Prædicatis ostendi, *Quatuor hæc Animalia totam Ecclesiam Novi Testamenti*, tàm secundùm quantitatem, quàm qualitatem, repræsentare. Dixi præterea, Johannem hæc Animalia ex *Ezechiele* potissimum mutuatum esse, apud quem tamen singula Animalia non sex, sed *quatuor* tantum *Alas* habent. Tot autem *Centenarii annorum* nobis sistuntur, quot *Alæ* in Animalibus spectantur: unde cùm Apocalypsis 24. numeret *Alas*, totidem iis *Secula* repræsentari exinde collegi: cùm autem apud Ezechielem tantùm 16. occurrant *Alæ*, totidem etiam *Secula* ibidem figurantur.

Continet equidem & *Ezechielis* Visio 24. *Secula*, (veluti sub *Periodo Sexta*, ubi de illâ Visione, & de his quatuor Animalibus ex professo agam, fusius docebitur), sed annumeratis *Rotis*, aliisque ad hanc Visionem pertinentibus circumstantiis, quas Apocalypsis in *Alas* transformat. Quando itaque in scenam producuntur hæc animalia, solet idipsum ad denotationem Temporis fieri, quò Visio charactere aliquo insigniatur, ut eò citiùs invenire queamus, ad quænam Tempora nos Spiritus S. remittat. Ut primus Eques prodit indicante primo Animali; Secundus secundo; Tertius tertio; & Quartus quarto: unde rectè colligimus, Sigillum primum primi Animalis tempus; Secundum secundi; Tertium tertii, & Quartum quarti attingere. Alias ineptè hæc Animalia ad spectandum alios invitarent, quæ ipsa non viderent: istud autem fieri non poterit, si Animalia illa, prout *Cap.* IV. *Apocal.* describuntur, tota & tanta hoc loco acceptentur. Non enim quatuor tantùm, sed omnia septem Sigilla ambitu suo includunt, adeoque totius Novi Testamenti Periodum. Sed si ex *Ezechiele*, quò semper alluditur, huc adducantur, & Rotis sive Oculis in Apocalypsi Alis affixis contradistinguantur res bellè procedet, Quilibet enim tum Eques illius Animalis, cujus

Vox auditur, Periodum magnam partem attinget, licet non totam exæquet. Exhibent ergò hæc Animalia sola, absque Rotis & oculis sumta, annos 1600. quorum medium sunt 800. Quando igitur dicitur, quod *Vox è medio Animalium prodierit*, eo ipso Spiritus S. accuratè hac descriptione notare voluit Tempus maximæ corruptionis, nimirum *Seculum Octavum* cum sequentibus, quibus in medium prodiit hic Eques nigro equo insidens; qui nihil aliud exhibet, quàm Ætatem Ecclesiæ tertiam tame spirituali denigratam. Et ita hoc Charactere Temporis etiam nostra Explicatio mirum in modum stabilitur, ut eâ tutò *Lector* insistere possit.

Et tantum etiam de Sigillo tertio:
Sequitur nunc Tubicinium tertium.

Tubicinium tertium.

Habetur illud *Apocal.* VIII. *v.* 10. *&* 11. Καὶ ὁ τρίτος Ἄγγελος ἐσάλπισε, καὶ ἔπεσεν ἐκ τοῦ οὐρανοῦ ἀστὴρ μέγας καιόμενος ὡς λαμπὰς, καὶ ἔπεσεν ἐπὶ τὸ τρίτον τῶν ποταμῶν, καὶ ἐπὶ τὰς πηγὰς ὑδάτων. Καὶ τὸ ὄνομα τοῦ ἀστέρος λέγεται Ἄψινθος. καὶ γίνεται τὸ τρίτον τῶν ὑδάτων εἰς ἄψινθον, καὶ πολλοὶ ἀνθρώπων ἀπέθανον ἐκ τῶν ὑδάτων, ὅτι ἐπικράνθησαν. *Et tertius Angelus Tubâ cecinit, & cecidit de Cœlo Stella magna, ardens tanquam facula, & cecidit in tertiam partem Fluminum, & in Fontes Aquarum. Et nomen Stellæ dicitur Absinthium: & multi hominum mortui sunt de Aquis, quia amaræ factæ sunt.*)

In hac Visione expendendum venit, quid per STELLAM *de cœlo cadentem*; quid per *Flumina*, & *Fontes*; quid denique per *Amarorem* sit intelligendum: quibus expositis, facilè patebit, qualis *Mors* hoc loco innuatur, naturalisné, an spiritualis, & æterna? Confido autem neminem hodiè tam ineptum fore, qui asserere audeat, *Stellam naturalem* de cœlo decidisse: neque enim id factum fuisse unquam probari posset, cùm tamen hoc Tubicinium ejusmodi actum repræsentet, qui jam dudum contigisse debeat. Meminerimus ergò, *Apocal.* I. *Cap.* 20. *v. septem Angelos Ecclesiarum* figurari per *septem Stellas* in dextrâ Salvatoris: ita ut unum idemque sint & exhibeant isti *Angeli & Stellæ*. Quando igitur, tertio clangente Angelo, Stella magna de Cœlo decidisse dicitur: eo ipso do-

cetur, illum Angelum tertium, seu *Angelum Pergamensem*, aut, ut clarius loquar, *ipsam Tertiam Periodum*, sive Ætatem Ecclesiæ, quæ per *Stellam* etiam denotatur, à Veritate desciviſſe, & Luciferi instar de cœlo decidiſſe: hoc eſt, Eccleſiam ejus temporis, falſis doctrinis maximè conſpurcatam, & cœleſti ſuo ſplendore orbatam fuiſſe; hoc enim eſt, *de cœlo in Aquas cadere!* Additur autem notanter, quòd illa Stella *ceu Lampas ſeu Fax arſerit*, ut moneamur, hoc Aſtrum ex *illis ſeptem Facibus ardentibus eſſe, quæ Apoc.* IV. *v. 5. ante Thronum ardere dicuntur*, & per *ſeptem Dei Spiritus*, in omnem terram emiſſos, itemque *per Cornua & Oculos Agni, Apoc.* V. *v.6.* explicantur; *& univerſam N. T. Eccleſiam*, in ſeptem Periodos ſive Ætates diviſam, adumbrant.

Quemadmodum igitur hæc tertia Periodus, de quâ agimus, in Sigillo tertio, ſub *Equitis* nigro equo inſidentis ſyrmate introducitur: ita ſub Tubicinio tertio, quod Sigillo tertio ſynchronum eſt, ut Stella de Cœlo decidens, flumina & fontes amarore inficiens, ſub nomine *Abſinthii* exhibetur. *Reſpicitur* autem hoc Amarore ad *Hiſtoriam Iſraelitarum* per Eremum proficiſcentium, & in *Mara* caſtra metantium, ubi Aquas propter amaritudinem bibere haud poterant, ſed ſiti periiſſent, niſi ex conſilio Jehovæ, per Lignum injectum, amaror in gratam dulcedinem converſus fuiſſet: ut habetur *Exod.* XV. *v.* 23. *&* 26. Cùm ergò *Apocal.* XII. *v.* 6. (de quo *alibi* latius) Mulier è Dracone infeſtata, in Eremum fugiſſe dicatur: hoc autem loco ejusmodi actus repræſentetur, qui Analogiam quandam cum Iſraelitis in Eremo degentibus exhibeat; exinde character & notatio Temporis colligi poteſt, quò faciliùs dijudicare queamus, *ſub quâ Periodo Mulier fugiens Eremum fuerit ingreſſa?* & quid ſit, *in Eremo latitare?* Digna ergò eſt hæc Analogia quæ probè conſideretur, utpotè quæ non tantùm doctrinæ falſæ noxium effectum exprimit, ſed inſuper etiam *Chronotaxi* ſubſervit.

Quod autem per hanc Stellam, *non ſolitarius aliquis Doctor, Epiſcopus, aut Chriſtianus* etiam, (quia & hi per *Stellas* adumbrantur) hoc loco poſſit intelligi, exinde apparet, quando hanc ipſam Viſionem cum aliis locis Apocalypticis conferimus. Ut *Apoc.* IX. *v.* 1. dicit Johannes, *ſe vidiſſe Stellam è cœlo cecidiſſe* (πεπτωκότα) i. e. quæ dudum ceciderat; quæ ſanè hæc ipſa eſt, hac Periodo deci-

dens. Illi Stellæ, quæ jam deciderat, datur *Clavis putei Abysſi*, quod attributum nos conferre jubet *Apoc.* Cap. XX. 1. ubi *Angelus, clavem Abysſi habens, Draconem per Mille Annos ligat*: unde iterum Character Temporis ſat notabilis emergit; (de quo dilucidius agemus, cùm illum locum explicabimus) Nunc monuiſſe ſufficiat, *hanc Stellam, hac Periodo cadentem, tria afficere Tubicinia*, & per 1000. Annos (efficiunt enim tria Tubicinia annos 1129.) Eccleſiæ nocere. Ex quibus manifeſtò patet, quòd ſolitarius aliquis Doctor tam diverſa Tubicinia non poſſit attingere. Non negaverim tamen, per hanc Stellam ad inſigniorem aliquem Epiſcopum reſpexiſſe Spiritum S. qualis eſt *Pontifex Romanus*, (qui verè derelictâ Veritate de Cœlo Eccleſiaſtico cecidit Apoſtata factus;) non tamen ſolummodò Perſona aliqua, aut individuum hoc vel illud; ſed potius Status, ſeu multorum Epiſcoporum in uno ſtatu vel ſede ſibi ſuccedentium ſeries, notatur.

Flumina & Aquas quod attinet, notant illa ſæpè Populos & gentes, ut *Apoc.* XVII. 15. *Aquæ, quas vidiſti, ubi Meretrix ſedet, Populi ſunt & turbæ, & gentes & linguæ.* Sed hoc loco *Populi & Gentes* per *Aquas & flumina* non poſſunt intelligi, quia Prædicata repugnant. Infici quidem Amarore poſſunt Gentes, & infectæ etiam ſunt plus ſatis, ſed bibi non poſſunt: hoc enim eſſet abſonum. Proinde hoc loco *per Flumina & Fontes aquarum, Doctrinam è Templis & Scholis per univerſam Eccleſiam dimanantem* rectè intelligimus.

Quemadmodum *Ezechiel* Cap. XLVII. & ex illo noſtra *Apocalypſis* Cap. XXII. per *Fluvium è Templo egredientem*, puriſſimam Evangelii Doctrinam (quod ex *v.* 10. *Ezechiel* cum *Matth.* IV. 19. & *Luc.* V. 10. collato patet) per paluſtres verò & ſalſas aquas, Doctrinæ corruptelas, & hæreſes intelligit. Quando igitur *Flumina & fontes Abſinthio infecta* dicuntur, notatur, puriſſimum Chriſti Evangelium hac Periodo multis fabulis, ſuperſtitionibus, idololatriis, & traditionibus humanis fuiſſe inquinatum: adeò ut Doctrina Eccleſiæ tertiam partem corrupta fuerit. Preſſè nimirùm *Numerus Ternarius* eſt retinendus: denotat enim infectionis iſtius non ſolùm *quantitatem*, ſed etiam noxiam *qualitatem*. Si enim partibus duabus Aquæ tertiam partem ſucci Abſinthii miſcueris, ſatis amarulenta conficietur potio. Dicitur autem hoc loco: γίνεται τὸ τρί-

τον τῶν ὑδάτων εἰς ἄψινθον, *Versa est tertia pars in absinthium: γίνεται pro γέγονε, Enallage temporis* in hoc Libro usitata: (nisi mavis studiò *Tempore futuro* usum fuisse *Johannem*, quò indicaretur, rem tum temporis, cùm hæc viderentur & scriberentur adhuc esse futuram;) & *Articulus* additus magnam emphasin habet, ostendens, Aquas non tantùm amaras fuisse redditas, sed tertiam earum partem in Absinthium degenerâsse. Quòd si jam alicui volupe fuerit, Scripta istorum Seculorum, quæ hæc Periodus continet, evolvere, Eventum Vaticinio correspondisse volens nolens fateri cogetur. Mihi certè nausea est, istam Camarinam, jam satis in præcedentibus motam, ulterius movere.

Hæc autem cùm ita se habeant; Nos satis edocere possunt, quali *Morte* multi homines, propter infectas aquas perierint, *naturaliné an æterna?* Nimirum nihil aliud hic dici, quàm multos homines, propter falsos & idololatricos cultus, æternùm fuisse condemnatos: ut discamus, rem admodùm periculosam esse corruptionem Doctrinæ, & proinde fugiendam. *Mors in ollâ!* clamabant olim Elisæi discipuli, cùm ipsis edulium, è colocynthide confectum apponeretur. *Mors in Aquis!* (hoc est, in doctrinâ scholarum & Ecclesiæ) clamare potuissent nostri Majores. Sed Deo Opt. Max. sit Laus & gloria, quòd hæ Aquæ Nobis puriores & limpidiores fluant, ita ut bibitæ non mortem, sed vitam & sanitatem pariant: quas itaque tanti facere tenemur, ut Vitam potiùs, quàm illas relinquere præsumamus. Qui autem Lacunis Absinthio infectis adhuc delectantur, caveant, ne istis potionibus sibi Animæ Mortem consciscant, & æternùm pereant!

Et hæc de Periodo Tertiâ dicta sunto.



CA-



CAPUT XI.

Periodum ſive Ætatem Quartam cum ſuis Viſionibus expendit.

Abſolutâ Periodo tertiâ, *Quartam* aggredimur, quæ itidem continet Annos trecentos cum quadraginta tribus: & incipit *Anno Æra Chriſtianæ* 1062. finitur autem *ejusdem Æræ Anno* 1404. *Viſiones* continet: *Epiſtolam ad Angelum Thyatirenſem; Sigillum quartum; & Tubicinium Quartum. Angelus ternum illud VÆ* ingeminans; itemque *ille per medium Cœli volans*, magnam partem etiam ad hanc quartam Periodum pertinent. Fuit hoc tempore, *Mulier à Dracone infeſtata, in deſerto*: & *duorum illorum Teſtium tempus medium* in hoc Jubileum quartum incidit. Miſſis autem reliquis Viſionum particulis, *hoc in Capite* ſolummodò *de Epiſtolâ, Sigillo, & Tubicinio quarto* agemus.

Epiſtola IV. Thyatirenſis. Et primò quidem *de Epiſtolâ ad Angelum Thyatirenſem.* Habetur ea *Apocal.* II. *Cap. à v.* 18. *ad* 29. Καὶ τῷ Ἀγγέλῳ τῆς ἐν Θυατείροις ἐκκλησίας γράψον. *Et Angelo Thyatiræ Eccleſiæ ſcribe.*) Odioſum eſſet repetere, quid per *Angelum* intelligatur, cùm in præcedentibus aliquoties ſit commemoratum. Nec opus etiam eſſe, judico, pluribus docere, qualisnam Urbs *Thyatira* olim fuerit, & ubi locorum ſit ſita: quia vix quippiam utilitatis noſtro propoſito iſta conferre poſſunt. Non enim hoc loco illa Myſorū Urbs, antiqua Macedonum colonia, conſideranda venit; ſed ſub hujus *Nominis* velamento, Eccleſiæ N. T. *Jubileum Angelicum quartum* depingitur.

Quare autem hoc *Nomine* insigniatur, operæ pretium est, ut dispiciamus. Dictam autem putant hanc Urbem θυάτειραν, tanquam θυγάτειραν, quod nomen ipsi *Seleucus Nicanoris filius*, ob lætum *de natâ filiolâ* acceptum nuntium, indidisse fertur. Verum enim verò allusionem potiùs, quàm verum nomen id esse, vel sola scriptio indicare potest: nec Spiritum S. ad illud *Etymon* respexisse autumo; nisi dicere velimus, hanc Periodum propterea dictam fuisse *Filiam* quia in erroribus & corruptelis cumulandis, Ætatem superiorem proxime præcedentem, ceu obsequiosa Filia, est æmulata. Potiùs tamen dicitur *Thyatira*, ἀπὸ τοῦ θύω, *Sacrum, sacrificium, Hostia*: & τείρω, *destruo, vexo, affligo, contero*: ut ita *devastatrix & destructrix Sacrorum* audiat hæc Periodus: nec immeritò. In tota enim hac Epistola conqueritur Spiritus S. de violatis Sacris, & de esu εἰδωλοθύτων. Consulatur Historia istorum Temporum apud *Aventinum*, & facilè *Thyatira* Titulum suum tuebitur.

Τάδε λέγει ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ, ὁ ἔχων τοὺς ὀφθαλμοὺς αὐτοῦ ὡς φλόγα πυρὸς, καὶ οἱ πόδες αὐτοῦ ὅμοιοι χαλκολιβάνῳ. *Hæc dicit Filius Dei, qui habet Oculos tanquam flammam ignis, & pedes ejus similes aurichalco.*) Non sine ratione hic *Titulus* præsenti Epistolæ est præfixus: sed Fatum Ecclesiæ hujus Periodi quodammodò respicit, simulque Vaticinium quoddam consolatorium & comminatorium continet.

Hactenus enim Ecclesia à Dracone erat infestata, & fluvio ex ore ejus evomito penè suffocata; in eremo latitabat; & sub throno Satanæ habitare cogebatur, dominio Papæ subjecta. Nec malorum erat finis, sed indies crescebant scelera, & sub prætextu Pietatis, Dominatus quærebatur terrenus. Cuncta gerebantur humano arbitrio, & Christus videri poterat tradidisse Regnum suum per Vicarium Caput, more humano, regendum; quod ipsum non impudenter jactabatur solùm, sed & armis, cæde, & sanguine propugnabatur: adeoque ne omnis periret Veritas, & tota pessum iret Ecclesia, fideles metuere potuerant. Consolatur itaque Filius Dei hoc ipso Titulo Electos suos, & impudentes Regni sui invasores acriter perstringit & redarguit. Dicit enim, se esse *Filium Dei*, (qui titulus suprà *Cap.* I. non habetur, sed hîc novè additur) nec opus habere operâ vicariâ, cùm sit ipse αὐτάρκης, quique omnia Verbo

ſuo, ut creavit, ita etiam conſervat: ſibi eſſe præterea *Oculos flammas ignis æmulantes*, hoc eſt, *Omniſcios*, quales equidem ad regendam Eccleſiam Capiti maximè ſint neceſſarii, nulli tamen Hominum conceſſi. Neque periculum eſſe, ut tota ſupprimatur Veritas, (licet magno conatu id acturus ſit Satan, omnes Abyſſi profunditates ciens) eſſe enim ſibi *Pedes ſimiles chalcolibano*: hoc eſt, Verbum & Doctrinam ſuam quovis metallo eſſe durabiliora, adeoq; firmo ſtare talo, nec extimeſcere ignem, utpotè maximè incombuſtibilia.

Οἶδά σου τὰ ἔργα καὶ τὴν ἀγάπην, καὶ τὴν διακονίαν, καὶ τὴν πίστιν, καὶ τὴν ὑπομονήν σου, καὶ τὰ ἔργα σου, καὶ τὰ ἔσχατα πλείονα τῶν πρώτων. *Novi Opera tua, & Fidem, & Charitatem tuam, & Miniſterium & Patientiam tuam, & Opera tua noviſſima plura prioribus.*)

Facilia ſunt hæc intellectu, nec opus habent prolixâ Explicatione. Continent enim elogium fidelium Chriſtianorum hac Periodo viventium, quorum pietas in Deum, Charitas in proximum, ſedulitas in officio & cultu præſtando, inprimis verò patientia & tolerantia in perſecutionibus miris laudibus extolluntur. Ne omnes ſeductos fuiſſe fideles cenſeamus, & totam periiſſe Eccleſiam cum Eliâ putemus. *Non enim eſt dubium*, (ſcribunt *Centuriatores Magdeb. Cent.* XII. *Cap.* 2.) *aliqua veræ Eccleſiæ membra paſſim extitiſſe hoc Seculo: licet Antichriſtus cum ſuis Sacris & Superſtitionibus totum ferè Orbem repleviſſet. Nam Biblica Scripta ſunt expoſita & tradita, licet Opiniones hominum paſſim fuerint immixtæ.* Hæc illi. Quod verò *Opera poſteriora prioribus* præferat, non eſt dubium, quin ad exortam per *VValdenſes* in Galliâ lucem, longè lateque poſteà diſperſam, reſpiciat Salvator. Nam circa *Annum Domini* 1160. Waldenſes publicè ab Eccleſiâ Pontificiâ diſceſſionem faciunt, & ſinceriorem Doctrinam voce, ſcriptis, & vitæ integritate profitentur, eamque progreſſu temporis in alias quoque Regiones diſſeminant. Sed cùm hanc ſuccreſcentem Eccleſiam Diabolus tolerare nequiverit, tanquam peſtilentes & pertinaces Hæretici, iracundè atque atrociter excommunicati ſunt, visque ipſis fuit intentata; ita ut, facultatibus ereptis, ſolum vertere cogerentur plurimi, multi etiam comprehenſi necarentur: reliquos autem ſuos conventus clandeſtinos habere

bere (uti & de antiquissimâ legimus Ecclesiâ) Vis & metus juberent. Crevit nihilominus tamen magis magisque hic Cœtus, & in alias terras longè lateque se diffudit, inque pietate & veritate solidâ confirmatus, Martyrio & patientiâ de Antichristo triumphavit, suæque Pietatis elogium hoc in loco ab ipso Salvatore reportat; etiam antequam res ipsa præstaretur, oculis Christi non solùm conspicua, sed etiam publicâ laude & conscriptâ mirè coronata.

Ἀλλ' ἔχω κατὰ σοῦ ὀλίγα, ὅτι ἐᾷς τὴν γυναῖκα Ἰεζαβὴλ, τὴν λέγουσαν ἑαυτὴν προφῆτιν, διδάσκειν καὶ πλανᾶσθαι ἐμοὺς δούλους, πορνεῦσαι καὶ εἰδωλόθυτα φαγεῖν. *Sed habeo adversum Te pauca: quia permittis mulierem Jezabel, quæ se dicit Propheten, docere & seducere servos meos, fornicari & manducare de Idolothytis.*) Præter illos, qui publicè secessionem fecerunt, plures erant in Papatu, qui rectiùs de Fidei Articulis sentirent; sed, præpostero metu, Papam offendere veriti sunt, & vitio seculi non parùm labis contraxerunt. Dignæ erant istæ Animæ, quæ melioribus temporibus servarentur, nec multitudine errantium in devia ἑκόντι ἀέκοντί γε θυμῷ abriperentur.

Hos itaque Servator equidem pro Servis suis agnoscit, sed eos simul etiam acriter reprehendit, & tam metum, quàm contractam labem, ut & præposterum silentium exprobrat, his verbis: Ἀλλ' ἔχω κατὰ σοῦ ὀλίγα, κ. λ.

Quæ verò de *Jezabele* dicuntur, ex I. *Reg. Cap.* XVI. XVIII. & XIX. sumta sunt, & hoc loco typicè adducuntur, eaque adductione innuitur, hujus Periodi tempore simile quidpiam in Ecclesiâ Christianâ patratum iri, ac olim in Ecclesiâ Israeliticâ factum, regnante Jezabele. Et certè nec ovum ovo tam simile potest esse, ac ista Periodus temporibus Jezabelis, si modò utraque inter se conferre voluerimus. *Jezabel* Mulier erat, & quidem Regina, idololatrica: *Falsa Doctrina*, sub picturâ *Mulieris impiæ in amphorâ sedentis, & in terrâ Sennaar dominantis*, adumbratur *Zachar* V. *v.* 8. & 11. quin *Meretrix Babyloniæ* hoc tempore regnans se *Reginam* dicit ipsam *Apoc.* XVIII. *v.* 7. *Jezabel* olim pro lubitu res sacras ordinabat, & cultum mandato divino contrarium instituebat I. *Reg.* XVI. *v.* 31. 32. & 33. sic hac Periodo Pontifex Romanus cum Clero suo omnia divina humanaque pro placito suo administravit. *Jezabel* Prophetas Domini persequeba-

tur, & comprehensos necabat I. *Reg.* XVIII. v. 13. idem Pontifex in dissentientes à se patrabat. *Jezabele* tumultuante, in Israële tam invisibilis & occulta erat Orthodoxa Ecclesia, ut & oculos Prophetarum fugeret, I. *Reg.* XIX. v. 10. idem de Ecclesiâ hujus temporis affirmare licet. Hâc Muliercula insaniente, tandem prodit ex occulto *Elias*, & confundit Baalitas, I. *Reg.* XVIII.

Sic cùm ad ἀκμὴν pervenisset Pontificis Romani Dominatus, prodeunt *VValdenses*, aliique Confessores, masculè Cleri vitia taxantes, & Monarchicum Regimen Papæ respuentes; de quo *alibi* latiùs. Prophetam *Jezabel* minis territat, & in eremum fugat: sic & isti Confessores in solitudines & montana disjecti sunt non solùm; sed & instar Nabothi, convitiis lapidati, suisque facultatibus exuti. Non autem opus esse judico, ut hæc operosius ex Historiis deducam, quia res per se clara & nota est. Unicæ *Objectioni* ut hoc loco obvius eam, res postulat. Non omnes æquo animo ferent, quòd *VValdensium* Sectam Prophetæ *Eliæ* comparem; cùm honor iste potiùs *B. Luthero*, vero Germaniæ Eliæ, competat. Sed responsum habeant, Me nihil affectui dare, sed ductum sequi Spiritus S. qui non unum aliquem insignem Doctorem hoc Nomine mactat; sed plures, quin omnes Orthodoxi orthodoxæ Ecclesiæ Ministri, per Annos 1260. & ultrà, hoc Titulo gaudent, quod ex *Apoc.* XI. è *versu* potissimùm *sexto* clarum est. Tantum tamen abest, ut Theandrum illum *Lutherum* hoc titulo defraudem, ut potius insigniter eundem illi suo loco sim vindicaturus: quanquam non negare possimus, etiam per hos testes à Deo excitatos, Bestiam Romanam fuisse oppugnatam.

Καὶ ἔδωκα αὐτῇ χρόνον ἵνα μετανοήσῃ ἐκ τῆς πορνείας αὐτῆς. καὶ οὐ μετενόησεν. *Et dedi illi tempus, ut pœnitentiam ageret, & non vult pœnitere à scortatione suâ.*)

Non hoc loco Porismata ex his verbis profluentia colligam: nimirum, Deum esse longanimem, & dare lapsis tempus ad pœnitentiam: Idololatras autem plerumque esse tam obstinatæ malitiæ, utpote Cultu suo sibi maximè placentes, ut vix, aut ne vix quidem resipiscant. Sed, *Cui* tempus ad resipiscentiam datum sit, considerabimus. αὐτῇ, *Illi dedi tempus*, nimirum *Jezabeli*, de quâ præcedentia verba loquuntur. Per *istam* autem non aliquod *Montani scortyllum*

aut

aut aliqua *Thyatiræ habitans Prophetissa*: (quod nonnulli volunt, qui has Epistolas ad *septem illas Ecclesias particulares Asiaticas* immeritò restringunt; nec sub hoc velamine *certas Ecclesiæ Universalis Periodos* describi animadvertunt:) sed *Papatus hoc tempore universam Ecclesiam occupans & subjugans*, hoc nomine notatur & describitur. Huic igitur Tempus ad Resipiscentiam datum est à Deo; simulque Vaticinium additur de obstinatâ malitiâ, & pertinaci errorum defensione. οὐ μετενόησεν, *non resipuit*: quo docetur, omnes admonitiones fore irritas, nec Papam cùm Clero suo Veritatem esse amplexurum, sed potius, spretâ divinâ longanimitate, in tuendâ & exercendâ fornicatione spirituali, operam daturum sedulam. Cujus Vaticinii Eventum hodiè ipsi oculis cernimus: & tantum abest, ut cœpti superioribus Seculis errores & corruptelæ hac Periodo sint correcti, & in melius mutati; ut contrà indies magis magisque creverint, & penè in immensum accreverint. Nec hodiè adhuc, in tantâ luce Doctrinæ cœlestis, tenebriones isti resipiscunt: sed petulantissimo conatu jubar Evangelii extinguere conantur. *Sanavimus Babel & non sanata est: datum est ipsi tempus ad pœnitentiam, sed non resipuit.*

Effert autem *Johannes*, more prophetico, hoc Vaticinium, non in *Futuro*, sed in *Præterito*, quo Certitudinem eventus denotet. Quanquam & alia causa subesse possit: tum temporis enim, cùm genuinus hujus Epistolæ sensus Ecclesiæ innotescet, verè res illa erit præterita; quemadmodum ea, quæ in sequenti *Versiculo* habentur, partim tum præsentia, tum futura erant.

Ἰδοὺ, ἐγὼ βάλλω αὐτὴν εἰς κλίνην, καὶ τοὺς μοιχεύοντας μετ' αὐτῆς, εἰς θλίψιν μεγάλην, ἐὰν μὴ μετανοήσωσιν ἐκ τῶν ἔργων αὐτῶν. Καὶ τὰ τέκνα αὐτῆς ἀποκτενῶ ἐν θανάτῳ. καὶ γνώσονται πᾶσαι αἱ ἐκκλησίαι, ὅτι ἐγώ εἰμι ὁ ἐρευνῶν νεφροὺς καὶ καρδίας. καὶ δώσω ὑμῖν ἑκάστῳ κατὰ τὰ ἔργα ὑμῶν. *Ecce ego mittam eam in lectum: & qui mœchantur cum eâ, in tribulatione maximâ erunt, nisi pœnitentiam ab Operibus suis egerint. Et filios ejus interficiam in mortem, & scient omnes Ecclesiæ, quia Ego sum scrutans corda & renes: & dabo unicuique vestrum secundum opera vestra.*

Præcedenti Periodo Deus Papatui, nisi resipiscat, comminatus est, *se citò venturum, & cum ipsis in gladio oris sui pugnaturum*: quæ

Comminatio etiam, hac ipsâ, & sequenti quintâ Periodo, in actum deducta est. Hoc autem loco, graviora comminatur: nec dubium est, quin & illa ipsa suo tempore sint implenda. Expendamus itaque paululum, quid *Jezabeli nostræ* Spiritus Domini denunciet.

Ego mittam eam in lectum: *Clinicam* scilicet eam faciet Deus, hoc est, ægrotantem, valetudinariam, & languidam; (è consequenti enim antecedens intelligitur.) Hoc partim impletum est, partim mox implebitur. Cùm *VValdenses* prodirent, & publicè Papam pro Antichristo proclamarent, tum signa hujus Languoris & imbecillitatis apparuerunt evidentissima; sed cùm Secta hæc (si autem *Secta* dicenda est) latius propagaretur, & in Bohemiâ, nostraq; Silesiâ *Hussitas* gigneret, tum languor iste mirum in modum auctus, paroxysmos febriles minatus est; ast cùm tandem plenum Jubar Evangelii per *B. Lutherum* illucesceret, nobilisque illa *Confessio Augustæ* ederetur, tùm sontico Morbo correpta hæc Meretrix tota facta est *Clinica*: nec ab isto morbo in hodiernum usque diem reconvalescere potuit: nec convalescet etiam inposterùm, utut medicamenta satis studiosè adhibeat, olim etiam *Arrianis* usurpata. Quin Morbus ejus invalescet potius, magis magisque juxta vaticinium hujus Prophetæ *Apoc.* XVI. *v.* 2. aggravabitur: cùm enim *Angelus primus Phialam* suam effundet in terram, tum *Vulnus malum & noxium*, Hominibus characterem Bestiæ habentibus, atque imaginem ejus adorantibus infligetur. Sed pergit:

Et qui mœchati sunt cum eâ, in Tribulatione maximâ erunt, nisi pœnitentiam egerint.) Hæc nondum sunt impleta; sed prope est tempus impletionis. Hæc enim est *Tribulatio illa magna*, quam *Apocalypsis* sub *sexto Sigillo*, & *Tubicinio sexto*, itemque *Cap.* XIV. *v.* 14. & 15. per θερισμὸν τῆς γῆς: ut & *Secundâ, tertiâ, quartâ reliquisq; Phialis Iræ divinæ Cap.* XVI. (de quibus omnibus *suo loco* fusius) describit. Comminationes enim his Epistolis adjunctæ, demùm in subsequentibus Periodis adimplentur.

Notandum tamen, istas plagas averti posse seriâ Pœnitentiâ; additur enim hoc loco conditio ista: *Nisi resipuerint ab operibus suis*. Sed proh dolor! *Cap.* IX. ad sextum Tubicinium hæc adduntur verba: *Neq; resipuerunt ab Homicidiis suis, neq; à Veneficiis suis, neq; à scortatione suâ, neq; à furtis suis.* Et *Cap.* XVI. *v.* 9. ad quartam Phialam an-

notatur: *Neq; resipuerunt, ut darent Deo gloriam.* itemque *v.* 11. ad Phialam quintam: *nec resipuerunt ab operibus suis.* Unde manifestum evadit, hanc Comminationem certo certius adimpletum iri, quia obstinatam malitiam, & malitiosam perseverantiam jamdudum prævidit & indicavit *Scrutator cordium & renum Deus.* Pergit:

Et Filios ejus interficiam in morte: ἀποκτενῶ ἐν θανάτῳ. Phrasis Hebræa: *Præpositio*, quin & ipsum *Nomen* redundat: ad denotandam tamen Emphasin & certitudinem rei, quin ad ostendendam gravissimam indignationem, adhibentur. *Filios ejus*, i.e. Reges Principes, divites, & potentes, *qui cum ipsâ scortati sunt, & vino scortationis ejus inebriati, Apoc.* XVII. *v.* 2. Hoc itidem sub *Periodo sexta* implebitur, uti habetur *Cap.* VI *v.* 15. *&* 16.

Et scient omnes Ecclesiæ, &c.) In irrogandâ huic Meretrici pœnâ, tam tragicum Exemplum statuet Deus, ut omnes Ecclesiæ particulares, tum temporis existentes, & subsequentes etiam, exinde collecturæ sint, Deum non esse otiosum spectatorem rerum humanarum, sed potiùs justissimum Operum retributorem: quem etiam propterea maximis laudibus sunt celebraturæ. Qui sanè eventus *Cap.* XVIII. per totum describitur: & *Cap.* XIX. *Vox magna multæ Turbæ auditur: Halleluja; salus, & honor, & gloria, & virtus Domino Deo nostro: quia vera & justa judicia ejus: & Meretricem illam magnam, quæ corrupit terram scortatione suâ, damnavit, & vindicavit sanguinem servorum suorum ex manu ejus. Deinde secundò dixerunt Halleluja: & fumus ejus ascendit in secula seculorum.* Ex his collatis evidenter colligitur, hanc Epistolam, non de aliquâ obscurâ mulierculâ Thyatirensi agere: sed sub isto involucro *Meretricem Babylonicam* notari. Quomodo enim aliàs hoc ipsum Vaticinium esset impletum? Et quomodo sciverunt *Omnes Ecclesiæ*, pœnam isti Jezabeli inflictam, quam tamen ipsam nemo novit, & de cujus tragico exitu, ne γρῦ quidem in Historiis est annotatum. Et cùm hæc pœna tam notabilis exempli esse debeat, mirum est, quomodo eam *Epiphanius*, qui hoc Vaticinium *de Priscilla, Quintillâ, & Maximillâ, Montani scortillis, & Cataphrygum Prophetissis* explicat, ignorare potuerit. Sed quid multis? Tota hæc Epistola probe expensa, & cum aliis locis Apocalypticis diligenter collata, vel invitos nos cogit credere, plus hîc describi, quam Ecclesiæ tam obscuræ, qualis Thyatiræ fuit, fatum.

Pergit:

Pergit: *Me eſſe ſcrutatorem Cordium & Renum*: hoc eſt, *Verum Deum.* Nam hoc attributum ſibi ipſi Deus paſſim in Scripturâ vendicat, I. *Chron.* XXVIII. *v.* 9. *Pſal.* VII. *v.* 1. & *Jerem.* XI. 23. *item* XVII. *v.* 10 &c.

Dabo unicuiq; veſtrûm ſecundum Opera ſua.) Religio Domina, Brachio ſeculari freta, multa injuſtè & dicit & facit; ita ut piis contra ne hiſcere quidem liceat: Sed ἔχει Θεὸς ἔκδικον ὄμμα, cuncta ſpectat, cuncta trutinat & expendit, & tandem unicuique ſecundum Opera ſua retribuit. Quod ipſum Piis ſit ſolatio; Potentioribus verò formidini.

Ὑμῖν δὲ λέγω τοῖς λοιποῖς τοῖς ἐν Θυατείροις, ὅσοι οὐκ ἔχουσι τὴν διδαχὴν ταύτην, καὶ οἵτινες οὐκ ἔγνωσαν τὰ βάθη τοῦ σατανᾶ, ὡς λέγουσιν. οὐ βαλῶ ἐφ᾽ ὑμᾶς ἄλλο βάρος. *Vobis autem dico cæteris, qui Thyatiræ eſtis: quicunq; non habent doctrinam hanc, qui non cognoverunt altitudinem* (rectius, *profunditatem*) *Satanæ, quemadmodum dicunt, non mittam ſuper vos aliud pondus* (ſive *onus.*)

πλὴν ὃ ἔχετε, κρατήσατε, ἄχρις οὗ ἂν ἥξω. *Tamen id quod habetis, tenete, donec veniam.*

Alloquitur his verbis Fideles *in cœtu Thyatirenſi*, i. e. in *Eccleſiâ hujus Periodi* latitantes, ipſosque hanc impiam Doctrinam habere negat, quam hoc loco *profunditatem Satanæ* vocat. Superiori enim Ætate ibi hoſpitabatur Eccleſia, ubi Thronus erat Satanæ, nec hac ipsâ Periodo ab illo Throno fuit ſejuncta, uti & ne nunc quidem Tota. *Tota*, inquam: Maximam enim partem quod attinet, ex Ægypto Papiſticâ jamdudum egreſſa eſt, imò extruſa, & ſummi Dei beneficio *peculiare Corpus myſticum*, etiam quoad externam converſationem, conſtituit, ad quod omnes illi pertinent, qui adhuc in medio Papatu latitant, vel meliora ſentientes, vel, ob infantiam, aut ſimplicitatem nimiam infantiæ ſimilem, abyſſum aut profunditatem Satanæ haud cognoſcentes. De his & talibus in Cœtu Thyatirenſi exiſtentibus nihil grave pronunciat Chriſtus. Nec enim oneratos τοῖς βάρεσι δυσβαστάκτοις *Matth.* XXIII. 4. καὶ ἀβαστάκτοις *Act.* XV. alio inſuper onere aggravare cupit mitisſimus Salvator. (Prophetia enim Calamitatem, aut grave quidpiam denuncians, olim משא i. e. *Onus* vocabatur, ut patet ex *Eſa.* XVII. *v.* 1. XIX. *v.* 1.

Jerem.

Jerem. XXIII. *v.* 33. & 38.) Nam utut Christus minimè probet, quòd communicent, & aures præbeant pseudodidascalis hi Nicodemitæ; quia tamen uberiori luce destituti, nihilominus Fundamentum Salutis sartum & tectum conservant, fœno, ligno, & stipulis combustis, non vult condemnare Spiritus Sanctus: reprehendit tamen; simulque *ad perseverantiam in Veritate* adhortatur, & *adventantem Christum*, seu per uberiorem illustrationem, seu per mortem id fiat, præstolari jubet.

Καὶ ὁ νικῶν, καὶ ὁ τηρῶν ἄχρι τέλους τὰ ἔργα μου, δώσω αὐτῷ ἐξουσίαν ἐπὶ τῶν ἐθνῶν. καὶ ποιμανεῖ αὐτοὺς ἐν ῥάβδῳ σιδηρᾷ. ὡς τὰ σκεύη κεραμικὰ συντρίβεται, ὡς κἀγὼ εἴληφα παρὰ τοῦ πατρός μου. *Et qui vicerit, & custodierit usque in finem opera mea, dabo illi potestatem super Gentes: & reget eas in virgâ ferreâ, & tanquam vas figuli confringentur: sicut & ego accepi à Patre meo.*) Insignem hæc verba difficultatem minantur, quam ut tollamus, omnem movebimus lapidem. Sunt autem hæc ipsa ex *Psalmo* II. *v.* 8. & 9. desumta, &, præter hunc præsentem locum bis in *Apocalypsi* recurrunt, ut *Cap.* XII. *v.* 5. & *Cap.* XIX. *v.* 15. quæ loca inter se conferenda, quò exactiùs genuinus hujus loci sensus erui possit.

Psalmum quod attinet, describit ille Consilium Regum terræ & Principum adversus Christum Dominum, de projiciendo jugo ejus, quem tamen conatum irritum fore minatur Propheta: quia Christus, ut constitutus à Patre Rex æternus, cui omnes gentes in hæreditatem & possessionem datæ sint, quas etiam in virgâ ferreâ sit recturus, & tanquam vas figuli confracturus: nimirum, si Vincula ejus salutaria disrumpere, & jugum suave rejicere tentent: hoc est, si Dominium ejus, Veritatem Evangelii respuentes & persequentes, aspernabuntur; ipsos ceu hostes & rebelles pessundabit & perdet. Quod *versu* 4. ita exprimitur: *Loquetur ad eos in irâ suâ, & in furore suo conturbabit eos.* Et additur ibidem gravissima adhortatio ad Reges & Judices terræ, ut debitum Christo cultum exhibeant, *ne pereant, quia Ira ejus brevi sit exarsura.* Generalia hæc ad peculiarem Actum restringit Apocalypsis: & quidem hunc ipsum demum post partum & fugam Mulieris in Eremo latitantis, futurum expressè indicat *Cap.* XII. *v.* 5. ὃς μέλλει ποιμαίνειν, *qui recturus est.*

Capite verò XIX. *à v.* 11. *ad* 21. is actus fusè describitur, & insuper *v.* 15. aliâ phrasi æquipollente explicatur, illâque ad alium Apocalypseos locum, nimirum ad *Cap.* XIV. *v.* 20. ubi *Torcular* iræ divinæ calcatur, & Tempus, modusque hujus Vindictæ in hostes depingitur, respicitur. Ex quibus perpensis liquidò videre est, quòd *virgâ ferreâ regere Gentes*, nihil aliud sit, quàm hostes Ecclesiæ pessundare, & quidem notabili immissâ pœnâ. Opponuntur autem *Gentes Judæis*: & omnes è gentibus conversi, & Oleæ Judaicæ per fidem inserti, Israelitis accensentur. *Non enim qui in manifesto, Judæus est: neq; quæ in manifesto in carne est Circumcisio: Sed qui in abscondito, Judæus est, & circumcisio Cordis, in Spiritu, non litera*: teste Paulo ad *Rom.* I. *v.* 29. Quare hoc loco *Gentes*, omnes Hostes Ecclesiæ denotant: quibus etiam Excidium, & id quidem insigne, & admodùm notabile, Propheta comminatur.

Sed quæstio oritur, quomodo hæc Promissio huic quartæ Periodo quadret? cum actus iste insignis necdum hodiè sit impletus; sed demum sub finem *sextæ & septimæ Phialæ* Iræ divinæ plenariè adimplendus restet: Quomodo quæsò hac Periodo vincens & servans mandata Dei hostes Ecclesiæ vincet & pessundabit? Notandum autem, Præmia in his Epistolis promissa totam concernere Ecclesiam, & ejusmodi denotare bona, quibus jamdum in hac vitâ sanctis Ecclesiæ membris frui dabitur, & quidem non in particulari, sed in usu communi & universali, simulque esse symbola æternæ felicitatis. Unde quivis Vincens, & servans mandata Dei usque ad finem, hoc est, quivis Fidelis, promissum præmium duplici modo accipit: primò ut membrum ejus Corporis, cui promissio impleta exhibetur: secundò æternam adipiscens felicitatem, ejusmodi symbolis descriptam & oppignoratam. Neque prior modus accipiendi levipendendus est: *sive enim patitur unum membrum, simul dolent omnia membra: sive honore afficitur unum membrum, simul gaudent omnia membra*, Apostolo teste I. *Cor.* XII. *v.* 26. 27. Unde Abrahamo promittitur Terra Chanaan possidenda *Gen.* XV. *v.* 7. 8. in quâ tamen ne passum quidem pedis *Act.* VII. *v.* 5. obtinuit. Obtinuit tamen in Posteris: & cùm idipsum certò futurum sciret, de hac hæreditate amplissimâ gaudere potuit, & procul dubio etiam est gavisus. Sic superioribus Seculis, sub jugo Pontificio gementibus

maxi-

maximo fuisset solatio, si scivissent, futuris temporibus tale jubar Evangelii oriturum, quod fulgore suo papales tenebras potenter esset discussurum. Certè martyr ille fidelis, *Johannes Hus*, Reformationem Lutheri animo divinitùs præsagiens, lætus ad eam provocabat, & bonum toti Ecclesiæ commune, ceu particulare quidpiam, sibi applicabat, ceu suo bono illustris ille actus in Ecclesiâ foret peragendus, inquiens: *Hodiè assatis Anserem: post centum annos veniet Cygnus, quem assare non poteritis: tunc* DEO ET MIHI RESPONDEBITIS. Ex his liquet, quomodo Actus, demum futuris temporibus in Ecclesiâ complendus, unumquemque Fidelium possit afficere; nimirum ut ejusdem Corporis mystici, in quo promissio adimpletur, Membrum & Concivis.

Bellè itaque convenit hæc promissio huic Periodo data. Cùm enim *Jezabel Pontificia* Ethnicam teneat Doctrinam, meritò *Gentibus* annumeratur, & in solatium in Babylone gementium hoc Vaticinium apponitur; quò sciant fideles, hanc Meretricem, tanto cothurno superbientem, tandem sub *Virgâ ferreâ Christi* gemituram, & *ceu vas fictile confringendam esse*, h. e. penitùs destruendam & excindendam. Quæ insignis *Victoria*, de Scorto illo nobili, non minùs istis, qui olim & nunc, Confessione, patientiâ, exilio, & sanguine ipsam devicerunt; quàm qui Vindictam divinitùs in eam exercitam, & pœnam suo tempore certò certius infligendam oculis suis spectaturi sunt, adscribitur. Nec immeritò: quia injurias piis illatas, precibus & gemitibus ipsorum fatigatus ulciscetur Deus, & moram pœnæ gravitate supplicii compensabit. Hinc de *Babylone mysticâ* dicitur *Apoc.* XVIII. *v.* 24. *Sanguis prophetarum & sanctorum inventus est in eâ, & omnium qui interfecti sunt in terrâ.* & *v.* 20. *Exulta super eam Cœlum, & sancti Apostoli, & Prophetæ: quoniam judicavit Deus* JUDICIUM VESTRUM *de illâ.* Pluribus enim modis Victoria de hostibus Ecclesiæ reportatur. *Draconem Ethnicum*, vicerunt Martyres Christi per sanguinem Agni, per Verbum testimonii sui, & per contemtum Vitæ suæ, *Apocal.* XII. *v.* 11. Victores *Bestiæ*, imaginis, & numeri nominis ejus *Cap.* XV. *v.* 2. cantantes, & ex Ægypto mysticâ exeuntes introducuntur, utpote *cantando & exeundo* (quæ Fidelium hodierno die viventium est Victoria) vincentes. Hoc autem loco etiam *Victoria per vindictam sanguinolentam* futura promittitur.

 Sed

Sed additur: *Sicut & Ego accepi à Patre meo*: quibus duo inculcare ſtudet: *primò* Victoriam iſtam munus eſſe cœleſte, Chriſto à Patre datum, Eccleſiæ ſuæ communicandum; is enim *Dona accepit pro Hominibus*: ne noſtris viribus aut operibus aliquid adſcriberemus; ſed potiùs admirandam Dei in gubernandâ Eccleſiâ οἰκονομίαν devoti perpenderemus, & in Voluntate divinâ læti acquieſceremus. *Alterum* eſt, ne ilico id futurum opinaremur, nullis præviis doloribus & perſecutionibus. Sic enim nobis dedit, ſicut ipſe accepit à Patre: ita autem accepit, ut per Paſſionem & Mortem introiret in Gloriam ſuam *Luc.* XXIV. *Eſa.* LIII. Sic iſta Vindicta, de quâ hoc loco ſermo eſt, demum poſt exantlatam illam *Perſecutionem*, cujus causâ potiſſimum *Apocalypſis* eſt conſcripta, erit expectanda. De quibus *alibi* plura.

Καὶ δώσω αὐτῷ τὸν ἀστέρα τὸν πρωϊνόν. *Et dabo illi Stellam matutinam.* Nec hîc ſatis obvium eſt, quid his verbis ſibi velit Propheta, quidve hoc loco promittat Salvator. Equidem *Apoc.* XXII. *v.* 16. ſemet ipſum Chriſtus vocat *Stellam ſplendidam & matutinam*; ut non incongruè Senſus eſſe poſſit: *Vincenti dabo Meipſum poſſidendum*: quod idem eſt, ac illud quod *Johann.* XVII. *v.* 22. *&* 23. dicit: *Ego Claritatem, quam dediſti mihi, dedi eis, ut ſint unum: ſicut & nos unum ſumus. Ego in eis, & tu in me: ut ſint conſummati in unum: & cognoſcat Mundus, quia tu me miſiſti, & dilexiſti eos, ſicut & me dilexiſti. Pater, quos dediſti mihi, volo, ut ubi ſum Ego, & illi ſint mecum: ut videant Claritatem meam, quam dediſti mihi.*

Ut ita unio illa & cohabitatio Chriſti cum fidelibus ſuis per *Luciferum* denotetur. Sed cùm Promiſſionibus hiſce in hoc Vaticinio plerumque ad fata Eccleſiæ ſubſequentia reſpiciatur, nullum eſt dubium, quin & hoc loco fiat. Naturam ergò *Phoſphori ſeu Stellæ matutinæ* exactiùs rimabimur. Solem illa ſubſequitur, quando *Heſperus* vocatur: antecedit verò cùm eſt *Lucifer*; diei Soliſque adventum denunciat, & claritate ſuâ reliquas ſtellas ſuperat. *Myſticè* autem *Lucifer oritur*, teſte *Petro*, quando *ad Sermonem propheticum attenditur*, nec interpretatione propriâ, & voluntate humanâ Scriptura S. exponitur: ſed ſi *ſancti Dei homines à Spiritu S. incitati loquantur*, II. *Pet.* I *v.* 19. *&* 21. Jam ergò ſequenti *Periodo quintâ* apparet *Angelus fortis, Librum apertum tenens, cujus facies ut Sol radiat*; quo ſym-

ſymbolo puritas & ſplendor Doctrinæ figuratur, & poſt Noctem illam triſtem, Diem lætisſimum, Solem Evangelii lucidiſſimum revehentem, exoriturum eſſe annunciatur. Ceu ergò Solem Phoſphorus præcedit: ita Actum iſtum celeberrimum, alius, etiam ſatis inſignis & celebris; in collatione tamen, veluti Luciferi claritas ad ſplendorem Solis, minùs nobilis & non æquè clarus erat præceſſurus. Quod hoc loco Eccleſiæ in ſolatium, contra *Jezabelis furores* promittitur.

Nec *Eventus* hanc prædictionem eſt fruſtratus: quia hac ipsâ Periodo *VValdenſes* non tantùm ſunt exorti, ſed etiam inſigniter aucti, fulgorque Veritatis oculos plurimorum magis magisque perſtrinxit. Quin ſub initium Periodi quintæ *Huſſus* etiam Papatum oppugnavit, & de *Luthero* vaticinatus eſt. Cui nolens volens accinere debuit *Cardinalis Cuſanus*, inſigne vaticinium (ceu olim *Caiphas*) *de Reformatore, Baptiſtam & Eliam æmulaturo exoriundo*, proferens. Quæ omnia Diei adventantis Signa fuerunt evidentisſima, meritòque *Lucifero* comparantur.

Clauditur hæc Epiſtola conſveto Epiphonemate: *Qui habet aures, audiat, quid Spiritus dicat Eccleſiis.* Quæ Verba cùm aliquoties expenderimus, nec hic quicquam novi proferatur, nihil præterea addo.

Et tantum etiam de Epiſtolâ ad Angelum Thyatirenſem, ſive ad Periodum quartam Eccleſiæ Univerſalis.

Nunc *Sigillum Quartum*, Deo adjuvante, & Agno clementer benedicente, aperiemus. Illud deſcribitur *Apoc. Cap.* VI. *v.* 7. & 8. *Sigillum quartum.*
Καὶ ὅτε ἤνοιξε τὴν σφραγῖδα τὴν τετάρτην, ἤκουσα φωνὴν τοῦ τετάρτου ζώου λέγουσαν, ἔρχου καὶ βλέπε. Καὶ εἶδον, καὶ ἰδοὺ ἵππος χλωρός. καὶ ὁ καθήμενος ἐπάνω αὐτοῦ, ὄνομα αὐτοῦ ὁ Θάνατος. Καὶ ὁ ᾅδης ἀκολουθεῖ μετ᾽ αὐτοῦ, καὶ ἐδόθη αὐτοῖς ἐξουσία ἀποκτεῖναι ἐπὶ τὸ τέταρτον τῆς γῆς, ἐν ῥομφαίᾳ, καὶ ἐν λιμῷ, καὶ ἐν θανάτῳ, καὶ ὑπὸ τῶν θηρίων τῆς γῆς. *Et cùm aperuiſſet Sigillum quartum, audivi Vocem quarti Animalis dicentis: Veni & Vide. Et ecce Equus pallidus: & qui ſedebat ſuper eum, nomen illi Mors & Infernus ſequebatur: & data eſt illi* (potius *illis*) *poteſtas ſuper quatuor partes* (in Græco eſt, *ſuper quartam partem*) *Terræ, interficere gladio, fame, & morte, & beſtiis terræ.*)

Quartam Periodum fluere, *vox quarti Animalis* denotat: & *Eques pallido Equo vectus*, iterum ex *Zachariâ* Propheta est desumtus. Is enim non tantum albos, rufos, & nigros equos producit, sed & *coloris varii*. Pallidus autem color ex nigro & candido mistus est: & ostendit, nigredinem præcedenti ætate, seu Sigillo grassantem, hoc tempore, aliquali mixturâ albedinis, pallidam esse effectam. Eques verò insidens *Mortis* appellationem meretur, quem etiam *Infernus* comitatur. Nec sine causâ. Licet enim superior Periodus, hac ipsâ, penè tristior fuerit, ob paucitatem Testium Veritatis, & inopiam Doctorum, quorum tamen hisce temporibus uberiorem segetem habuit Ecclesia: istius tamen miseria solummodò per *famem*; hujus verò per *mortem & infernum* denotatur. Quia gravius peccatur, si monitus malitiosè Veritati obstrepere audeas, quàm si incogitans quasi, & non satis ponderans, (utut possis, si velles,) ex somnolentiâ & consvetudine sensim in errores delabaris. Hoc ex humanâ imbecillitate profectum censeri potest, illud Odium diabolicum contra Veritatem arguit: &, si perseverantia accesserit, uti solet, Peccatum in Spiritum S. committitur; adeoque *Mors & infernus* præstò sunt.

Cùm ergò Corruptelæ, superstitiones, & idololatriæ superioribus Sigillis & Seculis ortæ, sub hac Periodo à pluribus multis in locis, & ore & calamo reprehenderentur, nec tamen decrescerent, sed indies magis magisque cumularentur, &, contra Testes Jesu fideles, vi & injuria defenderentur: nullum est dubium, quin Persecutores, Veritati malitiosè obstrepentes, & Martyres Christi bonis & vitâ exuentes, æternum damnati sint. Ut hîc non de *Peste* aliquâ communi & naturali sit sermo; sed potius de *Morte spirituali* & æterna. Quod satis etiam exinde apparet, quia majoris lucis gratiâ, morti *Infernus* comes additur: quo innuitur, omnes hac morte, quæ hoc loco pallido Equo vecta introducitur, morientes, etiam ab inferno abripi: quod de peste naturali abreptis affirmare non possumus. Unde notanter dicitur: *ϰ̀ ἐδόθη αὐταῖς ἐξουσία ἀποκτεῖναι, dataq; est eis* (scil. Morti & inferno) *potestas trucidandi*: simulq; quatuor modi hujus occisionis apponuntur; nempe *Gladio, fame, peste, & feris, seu bestiis terræ*. Ut ipsi Literæ vim inferant illi, qui hunc Equitem de Peste naturali exponunt. Concinnior illorum est Sententia, qui *quatuor Plagis Cardinalibus*, gladio, fame, peste, & feris Christia-

ſtianos caſtigandos eſſe, ſub hoc Sigillo, autumant; hiſque plagis *quartam*, i.e. *magnam partem Hominum* fore occidendam. Sed quid obſecro hæ Plagæ ad *Eccleſiam*, cujus *Fata* hoc in libro *Johannes* deſcribit? *Bella* equidem mutationes Imperiorum pariunt, exindeq; Eccleſiam hoſpitium ſuum mutare interdum cogunt, & tum Civitatem Dei ſatis acriter afficiunt: aſt *Fames, peſtis, itemq, feræ noxiæ*, nihil ad Eccleſiam, nihil ad Chriſtianum. Etiamſi quis vel bello, vel fame, vel peſte moriatur, ſeu à feris etiam occidatur & devoretur, non patitur ut *Chriſtianus*. Pœnæ ſunt temporales, Corpori & vitæ nocent, in Animam nihil poſſunt, nec quicquam habent juris. Sed quos *hic Eques* interficit, ſive gladio, ſive fame, ſive peſte, ſive feris id fiat, è numero γνησίως Chriſtianorum abripit, & in inferni barathrum præcipitat. Quare cardinalibus iſtis plagis longè eſt plagoſior, & ipsâ peſte peſtilentior. Singulos autem modos ſingillatim perpendemus.

Poteſtatem habet, Gladio interficiendi. Hic autem Gladius eſt illa *Romphæa*, quâ *Eques ſub ſecundo Sigillo* inſtructus prodiit; & oſtenditur, talia Bella hac etiam Periodo fore agitanda, qualia ſub illo Sigillo fuerint agitata, nimirùm Eccleſiam & Religionem concernentia: quibus id efficiendum ſit, ut *quarta pars membrorum Eccleſiæ* (ad *Eccleſiam* enim Numerus eſt aſtringendus, nec hoc loco *de toto humano genere* eſt ſermo) ſeu Chriſtianorum, ſic dictorum, ſpiritualiter moriantur. Vaticinium *Eventus* comprobavit. Frequentiſſima enim hac tempeſtate occurrunt Bella, tetra, fœda, & impia; quæ Eccleſiam valdè turbârunt, & Civitatis Chriſtianæ mœnia civili diſſenſione & injuſtâ potentiâ penè ſubruerunt. Qualia ſunt, quæ Cæſares & Reges adverſus Pontifices maximos ſibi ſemper rebelles, & dominationis cupidos, ſuſcipere coacti ſunt; aut quæ etiam contra alios, ſuaſu & inſtinctu Pontificum, tanquam alienæ crudelitatis miniſtri, geſſerunt; aut quæ *Anti-Cæſares & Antipapæ* impio & nefario auſu moliti ſunt. Tota ſanè hæc Periodus ejusmodi *Bellis* turpata, Chriſtianos ſanguinem ſudare vidit & cohorruit. Ejus cenſûs ſunt ea, quæ *Henricus* IV. *Henricus* V. *Fridericus Barbaroſſa*, *Otto Brunſvicenſis*, *Fridericus* II. *Ludovicus Bavarus Imperatores*, adverſus ſui Seculi Pontifices Romanos adornârunt. Ut *Templariorum* Ordinem & militiam, hac Ætate quartâ & ortam & de-

letam,

letam, ficco prætercam pede, qui militando Remiſſionem peccatorum & Cœlum promereri volebant. Nec etiam *Bella* in *Albingenses* Religionis gratiâ ſuſcepta & crudeliter peracta narrare lubet. Neque ſpontaneam illam, ab inconditâ multitudine, quæ *Anſerem* quem Spiritum S. eſſe dictitabant, exercitui præferebat, ſub Religionis ſpecie, *in Terram ſanctam Migrationem*, temerè ſuſceptam, perpetratis multis nefandis flagitiis continuatam, & infeliciter tandem finitam, pluribus, ut dignum eſt, exagitabo. Quin nec *Bellum ſacrum* in Palæſtinâ à Gothofredo Bullioneo geſtum adducere placet. Sufficiunt enim ad turpandam Sanguine Eccleſiam, Bella Civilia inter Imperatores, Reges & Pontifices agitata, ubi nec Sanguinis vinculo ſanguis ſiſti potuit. Pontificum & Clericorum ſuaſu, & (ſi Chriſto placet) etiam prætextu Pietatis, Filii in Parentes, & Parentes in filios armati ſunt.

Audi ſi lubet, *Calviſium ad Ann. Chr.* 1105. *Synodus Northuſii inſtituta, in quâ primùm actum, quando Jejunium quatuor temporum agendum ſit. Hæc Synodus congregata fuerat à Filio Henrici Imperatoris, cui perſuaſerant Pontificii, neminem bonâ conſcientiâ cum excommunicato quopiam converſari poſſe, etiamſi is Parens ſit, & admonuerunt eum de invadendo Regno, ne, ſi id Parenti à Pontifice & Concilio abrogetur, in alium, excluſo Filio, transferatur: præterea Juramentum Patri de hac re datum non obligare. Ideò Filius exercitum colligit, Epiſcopos à Parentibus depoſitos reſtituit, ordinatos pellit, & Patrem Moguntiæ obſidere conatur. Sed inde digrediens Norimbergam capit poſt obſidionem duorum menſium, cujus muros dejecit, inde Ratisbonam venit. Pater cum exercitu Filium ſequens, conſtitutos Epiſcopos à Filio removet, & favore populi Filium Ratisbonâ ejicit. Prælio congreſſi fuiſſent, niſi principes ſe interpoſuiſſent. Conſilio eorundem Principum Imperator ſcribit ad Paſchalem Papam, ut cavere velit, ne ſanguis Chriſtianorum perfidè fundatur, ſe, ſi ſibi Imperium cum dignitate a vitâ reſervetur, omnia facturum, quæ obedientem Filium Eccleſiæ deceret: ſed nihil reſponſi accipit. Legatus à latere mittitur, qui Concilium Moguntii habeat, ubi Cauſa diſceptetur. Interim Filius ad Patrem Imperatorem venit, deprecatur culpam apud Parentem, ſe ſeductum ab aliis hoc conatum fuiſſe, ut Pater ipſe ſcribit ad Regem Galliæ, & ita decipit Patrem, ut copias dimitteret, & cum Filio Moguntiam verſus profi-*

proficisceretur, ubi Bingi Parentem in custodiâ habet, Mense Decembri, donec ipsi Imperium abrogaretur. Hæc ex *Ursberg. Galvisius.*

Quid animi tibi est, *Lector?* An non magnam partem Christianum Nomen profitentium his impiis bellis æternum periisse existimas? Nec enim ex zelo sine scientiâ per ignorantiam inevitabilem erratum est, sed admoniti & convicti etiam, Veritati & justitiæ herbam porrigere noluerunt. Lectu digna est Oratio, quam apud *Aventinum Lib.* V. *Annal. pag. m.* 357. *seqq.* Garstungi in conventu Episcoporum Germaniæ & Galliæ pro Imperatore habuit *Conradus Episcopus Trajectensis, ubi dicta illa: Reddite Cæsari, quæ sunt Cæsaris, & Deo, quæ sunt Dei: itemq;, quicquid solveris super terram, erit solutum in cœlis, & quicquid ligaveris super terram, erit ligatum in cœlis: satis feliciter & piè exponit, docetq;, Arma militiæ nostræ esse spiritualia, non ferrum, neq; rapinas, cædes, homicidia, perjuria; sed loricam, thoracem, galeam, baltheum, ensem, scutum esse Pacem, amorem, justitiam, spem salutis, veritatem, sermonem Dei, Fidem. Quæ munera divina sæpius Imperator Christianissimus ultrò Hyldebrando obtulerit; sed ipse accipere recusaverit.* Quin tam nervosè hic Præsul pro Imperatore disseruit, ut *Gebhardus Salisburgensis Bojorum primarius Episcopus, ætate, eloquentiâ, scientiâ* (ex testimonio *Aventini,*) *egregiè præter cæteros Hyldebrandinos venerabilis, cui socii respondendi provinciam demandârant, omninò obmutuerit, & ne hiscere quidem potuerit.* Nihilominus tamen perfrictâ fronte, non mutârunt sententiam: sed contra dictamen conscientiæ malitiosè in impietate suâ perstiterunt, neque prius acquieverunt, donec Filium in Patrem armarent, & scelerato ministerio perjuria & parricidia sua peragerent: unde nullum est dubium, quin æternum perierint, & damnati sint.

Et si vel hoc unicum Bellum ex Historiis suppeteret, quorum tamen uberior copia adduci potest, satis esset ad demonstrandum, plurimos hac Periodo gladio corporali ad infernum fuisse detrusos. *Hoc enim furore,* inquit *Aventinus Lib.* VI. *sub init. fol. m.* 370. *tum concitati Germaniæ, Galliæ, Italiæ populi, ferrum in sua viscera converterunt, per triginta tres annos à Gregorio & Urbano continenter sanguine ovium belligeratum est.* Et paulò post: *Antehac Mystæ, monachi, sacerdotes, virgines, sacratæ fœminæ, Episcopi, rebus divinis, studio literarum, scribundis libris (delegatâ domus, penatium, agro-*

*rum cura in prophanos) duntaxat operam dabant; rerum fluxarum, caducarumq; administratione contaminari, pollui se credebant. Pecuniæ igitur, prædiorumq; rei familiaris curam in procerum quempiam, qui vicinus vel autor contubernii erat, à se relegabant. Illum Cæsar dabat, qui Sacerdotibus victum & vestitum, pauperibus inde alimenta tribueret, huncq; Boetum (*Vogt*) germanico atq; græco vocabulo, hoc est, patronum curatoremq;, vocabant. Primum tum immunitatem libertatemque, amoto hujuscemodi Administratore, Sacerdotes receperunt. Polliciti quotannis Romano Pontifici nummum aureum (quem Byzantium vocant diplomata) pensitare; facilè tum Paschali de alieno largiente, Tributumq; accipiente, qui aliam quoq; rationem in vulgus dissipavit. Communem Pastorem communiter ab omnibus, grege, ovibus, & arietibus, hoc est, Sacerdotibus, Plebe, deligendum esse. Atq; rursus per sexdecim continuos annos pro hisce Aucupiis, armis non citra sanguinem decertatum est: omnia divina humanaq; permixta sunt. Contra Cæsar, & alii pleriq; Episcopi & Proceres, summoperè nitebantur, nec animi tamen Romanorum Pontificum frangebantur, sed admonebantur, quò majores necessitudines compararent, quibus cogi possent Imperatores, Reges, Principes, Episcopi, Senatus, Populus, nisi id probarent, quod ipsi constituissent. Nec per septies septem annos destitere, donec voti compotes facti sunt, tantumq; bolum ex faucibus Imperatorum eripuére.*

En tibi, *Lector*, *Romphæam* satis acriter tumultuantem! Non minùs illa in progressu, & fine hujus Periodi, ac in principio, sub Henricis, Patre & Filio, sæviit, quod multis Exemplis, si opus esset, probari posset; hæc paucula saltem adducta sunt ad Explicationem nostram confirmandam: quò videre liceat, Bella ista maximè affecisse & afflixisse Ecclesiam. Vel enim propter res Ecclesiasticas sunt agitata; aut propter Excommunicationes injustas exercita; aut horum prætextus aliquis è Sacris Literis petitus; aut Ecclesiæ Status mutatus; ubique autem Pietas vehementer læsa & profligata. Confer etiam *Hotting. Histor. Eccles. Cap.* XII.

Sed & *Fame & Morte* spirituali pallet hic Eques. Tantum enim abest, ut Corruptelæ, errores, idololatriæ, superioribus Periodis cœptæ, hac ætate desierint, ut potius mirum in modum sint auctæ; & pestilentiores insuper redditæ. Cùm enim præcedenti ævo ignorantia Veri, & invalescens superstitio *Famem*, quâ plures æternum

num

nùm perierunt, procreavit: hac Periodo, malitiosa & refractaria Veritatis oppugnatio *Mortem* ipsam, comite *Inferno* produxit.

Res tam manifesta est, ut nullâ opus habeat probatione: si modò Historiam Ecclesiasticam illorum Temporum, vel per transennam inspicere libuerit, evidenter apparebit, Mala prioribus seculis orta, hac tempestate strenuè fuisse aucta & continuata.

Ceu singulare tamen quidpiam notandum est, quod etiam ὑπὸ τῶν θηρίων τῆς γῆς, *per terrestres Feras* sævíturus sit hic Eques. Eo ipso enim monemur, *Bestias illas*, quarum *Apocal.* VIII. fit mentio, sub hac ipsâ Periodo quartâ jam ortas fuisse, & damnum dedisse. Unde & isti Vaticinio ex hâc ipsâ consideratione aliqua lux infertur. Sed quia de his Bestiis *infrà* fusius disputabitur, hoc loco innuisse tantùm sufficiat.

Et tantum etiam de Sigillo quarto!

Denique *Tubicinium quartum* exponemus, quod habetur *Apocal. Cap.* VIII. *v.* 12. Καὶ ὁ τέταρτος ἄγγελος ἐσάλπισε, καὶ ἐπλήγη τὸ τρίτον τοῦ ἡλίου, καὶ τὸ τρίτον τῆς σελήνης, καὶ τὸ τρίτον τῶν ἀστέρων. ἵνα σκοτισθῇ τὸ τρίτον αὐτῶν, καὶ ἡ ἡμέρα μὴ φαίνῃ τὸ τρίτον αὐτῆς, καὶ ἡ νὺξ ὁμοίως. *Et quartus Angelus Tubà cecinit: & percussa est tertia pars Solis, & tertia pars Lunæ, & tertia pars Stellarum, ita ut obscuraretur tertia pars eorum, & diei non luceret pars tertia, & Noctis similiter.*) *Tubicinium quartum.*

Diurni nocturnique Luminis jacturam, quoad tertiam partem commemorat hæc plaga. Non tamen Eclipses usitatas, aut etiam defectum aliquem Solis & Lunæ præternaturalem: sed potius *spirituales Tenebras*, corruptelas nimirum Doctrinæ hoc loco intelligit. *Sol* enim in *Apocalypsi Verbum Dei*, seu Doctrinam Evangelii notat; *Luna* cœtum Ecclesiasticum Verbo divino illustratum; *Stellæ* autem Doctores & Fideles figurant. Hinc *Cap.* XII. Ecclesia introducitur sub schemate *Mulieris gravidæ Sole amictæ, sub pedibus Lunam habentis, & capite coronâ Stellarum duodecim coronato.* Sic *Cap.* VII. *v.* 2. *Angelus ab ortu Solis* ascendit, hoc est, ab ortu prædicationis Evangelii. *Cap.* X. *Angeli de cœlo venientis facies ut Sol radiat*, hoc est, Verbo Dei conspicuus est. *Cap.* XVI. *v.* 8. *Angelus quartus Phialam suam in Solem effundit*: quo notatur ingens propter Verbum Dei afflictio, & exantlanda persecutio.

Cùm igitur dicitur, *tertiam partem Solis esse percussam*, nihil aliud dicitur, quàm publicam Evangelii doctrinam tertiam partem erroribus fuisse contaminatam, unde necessariò etiam *Luna*, seu cœtus Ecclesiasticus tertiam partem fuit corruptus, simulque Stellarum mysticarum nitor, hoc est, Doctorum, valdè fuit debilis & & languidus: Sole enim patiente, patiuntur & Luna & Stellæ. Consulat jam aliquis Historiam Ecclesiasticam horum temporum, nimirum ab Anno 1062. usque ad Annum 1404. & magnam ubique Barbariem tum in Philosophiâ, cùm in Theologiâ obtinuisse comperiet. Disputatum tunc est *de Unitate Formæ, de unitate Intellectus, de Universalibus, de Entitate, de Ideis*: &, loco salutaris Doctrinæ: quæstiones inutiles & impiæ in *Scholis* sunt propositæ. Puta: *An Deus possit quodvis malum, etiam odium sui, præcipere, & omne bonum prohibere, etiam Amorem & cultum sui? An potuerit hunc Mundum etiam ab æterno meliorem, quàm fecit, condere? An hæc Propositio: Deus est scarabæus, aut cucurbita, tam possibilis sit, quàm hæc, Deus est Homo*: & sexcenta hujus farinæ alia. In *Templis* nihil jactabatur nisi *Satisfactio pro peccatis*, non per Christum, sed *per propria Merita, per intercessiones Sanctorum, & deprecationes Monachorum & Monialium*. Impudenter jactitârunt Sacrificuli, se suis auditoribus persuadere voluisse, *ut fœnum esitârint, redimendi peccati gratiâ, nisi Lutherus veniens meliora ipsos docuisset*. Sed laus Deo! hujus beneficio restitutus est pristinus nitor Soli, & purior inde Luna refulget, Stellæq; scintillantes claro lumine micant!

Notetur autem, quòd in hoc Vaticinio addatur: *Tertia pars Solis percussa est*, TERTIA *pars Lunæ, &c.* qui Numerus non dicis gratiâ additur, sed ex singulari consilio Spiritus S. & id quidem ob *Sigillum sextum*, quod Tubicinio sexto est synchronum: ubi non *tertia pars Solis*, sed *totus Sol* obscuratur; nec tertia pars Lunæ percutitur, sed *tota* fit sanguis: nec Stellæ tertiam partẽ obscurantur, sed *de cœlo decidunt*: nec Dies aut Nox tertiam partẽ lumine spoliantur; sed *totum Cœlũ abscedit* & convolvitur. Unde satis liquet, *Numerum ternarium* hoc loco pressè esse retinendum, quò exactiùs de miseriâ futuri temporis, ex hujus Periodi præteritæ calamitate & corruptelis, judicare valeamus.

Et tantum etiam de hac quartâ Periodo dictum esto!

Introducitur quidem etiam hac Periodo, *Angelus trinum VÆ denuncians*, sed quia etiam sequentem Periodũ quintam suo ambitu complecti-

plectitur, post consideratum *Sigillum quintum* comodiùs iste Angelus admittetur, & *postea* etiam peculiare scriptionis *Caput* exhibebit.

CAPUT XII.

Periodũ sive Ætatem Quintam, cum Visionibus suis declarat.



uintam Ætatem seu Periodum aggredimur, spectatum *Ecclesiam Sardensem*. *Incipit* autem illa (uti ex calculo *suprà Cap.* VI. ducto, & probato, sufficienter liquere potest) *Anno Æræ Christianæ* 1405. & *finietur* tandem *Anno ejusdem Æræ* 1747. ut ita hoc Anno 1663. dum hæc scribo, ex hac Periodo quintâ, jam effluxerint Anni 259. unus sit labens, 83. verò sint futuri. Vaticinia igitur in hanc Periodum complemento suo incidentia, Nos proximè attingunt, & res præsentes, nostrâ Patrumq; nostrorum memoriâ gestas, Nobis ob oculos sistunt. *Pertinent* autem ad eam, *Epistola quinta ad Angelum Sardensem* exarata; *Sigillum quintum*, *& Tubicinium quintum*: Multæ prætereà particulæ aliarum Visionum, quarum explicationem suo loco σὺν Θεῷ dabimus: *hoc in Capite* tantùm *de Epistolâ, Sigillo, & Tubicinio quinto* acturi.

Epistola extat *Apocal. Cap.* III. *à v.* 1. *ad* 6. inclusivè. Καὶ τῷ Ἀγγέλῳ τῆς ἐν Σάρδεσιν ἐκκλησίας γράψον. *Et Angelo Ecclesiæ Sardis scribe.*) *Epistola V. Sardensis.*

Quare hæc Periodus sub velamento & cognomine *Sardis* veniat, primò dispiciendum. *Brigthmannus Anglus* dictam putat *Sardim*, quasi σαρδόνιον γέλωτα seu γέλων, *Sardianum risum*: & hanc Epistolam *Lutheranæ Ecclesiæ*, quam Hypocriseos, propter dogmata Calvinianis erroribus opposita, insimulat, applicare studet. Sed ut de frivolâ illa Applicatione nihil jam dicam, ipse fateri cogitur, *Sardonium Risum* sic dici, non ab urbe Lydiæ *Sardense*, sed ab herbâ *Sardoâ*, in insulâ *Sardinia* crescente, quæ Latinis *Ranunculi genus* esse creditur, cujus esu mens adimitur, & risus lethalis excitatur. Deinde, ut ut lubentes concedimus, hodiernam Ecclesiam, etiam *Lutheranam & Saxonicam*, in hac Epistolâ notari & corrigi; ita negamus, *tan-*

tùm Saxonicam, aut Germanicam Eccleſiam ſub hoc Titulo ſpectandam exhiberi: ſed & *Anglicanam, & Gallicam*, quin totam Eccleſiam Chriſti, in univerſo mundo hac Periodo exiſtentem, includimus. Nec enim tam faſtidioſi ſumus, ut credamus, Chriſto hac ætate in Saxoniâ, aut Germaniâ ſolùm liberos naſci; utut Eccleſiis Saxonicis, illarumque aſſeclis, Cultum puriorem meritò vindicemus, propterеaque Deo gratias agamus! ſed potiùs ita ſtatuimus, etiam in cœtu fermento aliquo heterodoxias infecto latitare quosdam, quorum corda puriora ſunt labiis docentium. Hoc tamen *Brigthmanno* facilis dedero, Spiritum S. hac ipsâ Epiſtolâ potiùs illos reprehendere, quibus purior Verbi divini lux affulſit; quàm hos, qui adhuc tenebris denſiſſimis immerſi iſto lumine carent. Horum enim errores & ſuperſtitiones uti ſuperioribus ſeculis ſunt exortæ, ita etiam ſuperioribus Ætatibus ſunt reprehenſæ: hoc loco alia objiciuntur, & non tàm Doctrina, quàm Vita taxatur.

Reſpicit verò hoc Nomine Spiritus Sanctus ad Lapidem pretioſum *Sardium*, cujus in *Apocalypſi* aliquoties fit mentio, interque fundamenta Civitatis ſanctæ numeratur *Cap.* XXI. *v.* 20. A quo lapide num Urbs Sardis nomen habeat, an verò vice versâ gemma ab urbe nomen trahat; incertum eſt. Σάρδιος autem dicitur, quaſi σαρκίδιος, i.e. *carneus*, quia colore ſuo *Carnem* crudam æmulatur, unde Hebræis אדם à rubedine, quâ inſigniter nitet, appellatur. Adhibetur autem in *Apocalypſi Cap.* IV. *v.* 3. ad denotandam *humanam Chriſti Naturam*, ejusque Officium mediatorium. Is enim qui in Throno ſedet (quâ Seſſione Exaltatio humanæ Naturæ, & poteſtas ipſi communicata notatur) ſimilis eſt aſpectui lapidis Jaſpidis & Sardinis. Mentio item fit hujus Gemmæ *Exod.* XXXIX. *v.* 11. ubi inter duodecim pretioſos Lapides in pectorali Aaronis primus numeratur; & inſcriptum nomen *Judæ* (ſi non ordo naturæ & genituræ, ſed data prærogativæ *Numer.* II. *v.* 3. ſpectatur) tenuit; adeoque haud immeritò *Chriſtum è tribu Juda* oriundum in *Apocalypſi* figuravit. Bellè igitur huic ætati ſeu Periodo convenit Cognomen hoc: quin vix ullo tempore, ex quo Apoſtoli deceſſerunt, Mediatorium Chriſti Officium, & Majeſtas Carni ipſius communicata, illuſtrius in Eccleſiâ refulſerunt, quàm hac noſtrâ & Patrum noſtrorum memoriâ. Omnia pulpita, omnes Cathedræ hodiè id ſonant; & omnis eò tendit Controverſia.

Tà

Τὰ δὲ λέγει ὁ ἔχων τὰ πνεύματα τοῦ Θεοῦ, καὶ τοὺς ἑπτὰ ἀστέρας. *Hæc dicit, qui habet ſeptem Spiritus Dei, & ſeptem Stellas.* Quòd *ſeptem Spiritus Dei, & ſeptem Stellæ in dextrâ Salvatoris,* unum idemq; notent, nimirum *ſeptem Novi Teſtamenti Eccleſiæ Periodos ſeu Ætates,* à Spiritu S. gubernatas, inſtar Stellarum rutilantes *ſuprà Cap.VI. hujus Operis* fusè probatum eſt. Non ergò ſinè myſterio in principio hujus Epiſtolæ hunc Titulum ſibi adſcribit Salvator: quòd is ſit, *qui habet ſeptem Spiritus Dei, ſeptem Stellas,* nempe illos Spiritus, & illas Stellas, quarum *Cap.I.v 4.& 16.* fit mentio, quod Articulus additus in fonte denotat. Hac enim Periodo Sardenſi, *Myſterium illud Stellarum,* ſeu Tubiciniorum ſeptem, hactenus obſcurum & incognitum, Eccleſiæ innoteſcere debebat, *Liberq; ſeptem Signaculis clauſus* recludi, & apertus in publico oſtendi.

Id quod inter alia hac ipsâ Explicatione & Scriptione jam per Dei gratiam adimpletur. Certus enim ſum, Eccleſiam Orthodoxam hunc meum Laborem agnituram & approbaturam eſſe, priusquam effluat hæc Periodus: utut fortè non defuturi ſint ſub initium, qui contra musſitabunt. Stabit tamen invicta Veritas, & *Oſtium apertum ab illo, qui habet Clavem Davidis* (ut in *ſequenti Epiſtolâ* Spiritus S. loquitur) nemo claudere poterit.

Οἶδά σου τὰ ἔργα, ὅτι τὸ ὄνομα ἔχεις ὅτι ζῇς, καὶ νεκρὸς εἶ. *Quia nomen habes, quòd vivas, & mortuus es.*) Genuinum horum Verborum Senſum is facillimè percipiet, qui paululum intentiori oculo Vitam Chriſtianorum etiam Orthodoxorum, hac Periodo viventium, ſpectaverit, & ad normam Legis divinæ examinaverit. Gloriari poſſumus de reſtitutâ Luce Evangelii, puritateque Doctrinæ ſuperiores Ætates omnes vincimus, nulliſque hac in parte, niſi ſolis Apoſtolis, cedimus. Mors enim & Infernus propter infectas Abſinthio Aquas, *Apoc* VIII. nihil in nos juris habent, niſi quis ſponte, contra Conſcientiæ dictamen, ad ollas Ægyptiacas reverti maluerit: & proindè meritò *Nomen habemus, quòd vivamus,* reſpectu ſcilicet Seculorum ſuperiorum, ubi *Mors & Infernus,* ob introductas Superſtitiones, dominabantur. Sed prô dolor! in præſtandis Operibus Pietatis omnibus longè inferiores ſumus, quin *penè mortui!*

Utique ſi Chriſtianos ex profeſſione Doctrinæ puræ, ex auditu Verbi divini, & uſu legitimo Sacramentorum, ex Cultu denique exter-

externo, & Confessione æstimemus; tùm hodiè numerosius ubique Cœtus Christo colligetur, & hoc nomine Ecclesia satis felix dici & putari potest: At si Charitatem Christianam, per quam Fides efficax est, & ex quâ, tanquam Signo indubitato, Filii Dei cognoscuntur, requiras, oppidò perquàm pauci reperiuntur Fideles, ita ut penè invisibilis lateat Ecclesia. Superbia, Luxus, Avaritia, Injustitia, Simultates, Odia, Lascivia, Impuritates, ubique hodiè regnant, &, quod dolendum, non ut Vitia & turpitudines reprehenduntur; sed veluti Virtutes laudantur, aut tanquam leviculum quidpiam ridentur. Omnes Status percurre, &, nisi adulatorio palpo Seculum hoc percutere velis, indignabundus nolens volens Me vera scribere comperies. Nec Ministerium etiam sacrum, Congregatio illa venerabilis & sancta, ab ejusmodi pestibus immune est; quin plurima carcinomata nutrit & alit; & Venenum in se receptum in alia Corporis mystici membra diffundit. Ut in nos quadrare possit illud *Jeremiæ Cap.* XXIII. *v.* 11. *Propheta & Sacerdos polluti sunt: & in domo meâ inveni malum eorum, dicit Dominus.* Et *v.* 18. *In Prophetis Samariæ vidi fatuitatem, & prophetabant in Baal, & decipiebant populum meum Israel: & in Prophetis Jerusalem vidi similitudinem adulterantium, & iter mendacii: & confortaverunt manus pessimorum, ut non converteretur unusquisq; à malitiâ suâ: facti sunt mihi omnes ut Sodoma, & habitatores ejus quasi Gomorrha.* Jejunia, Preces, aliaque pietatis exercitia aut nullibi existunt, aut sicubi dantur, vel frigent, vel in speciem saltem pro consvetudine peraguntur. Charitas erga proximum pro stultâ Simplicitate habetur, &, si injurias, ex mandato Christi, condonaveris, pro ignaviâ & timiditate puerili æstimabitur. Intereà tamen belli nobis videmur Christiani, & si quis hunc aut illum, propter Vitia satis spectabilem, reprehendere audeat, ipse à plurimis reprehenditur, suaque vitiis non deerunt pallia, neque etiam defensores, ex præstantissimis & spectatissimis etiam Viris. Uno verbo ut absolvam, & paucis multa comprehendam: *Puritate Doctrinæ vivimus; Operibus Charitatis mortui sumus.*

Γίνου γρηγορῶν, καὶ στήριξον τὰ λοιπὰ, ἃ μέλλει ἀποθανεῖν. οὐ γὰρ εὕρηκά σου τὰ ἔργα πεπληρωμένα ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ. *Esto vigilans, & confirma cætera, quæ moritura erant. Non enim inveni Opera*

pera tua plena coram Deo meo. A ſomno Securitatis excitare, majusque Pietatis ſtudium commendare, & verè vigilantes reddere, acerrimâ hac reprehenſione conatur Spiritus S. Chriſtianos hac Periodo viventes. Hos enim proximè hæc verba Vaticinii tangunt. Dum enim Opera ſe plena corã Deo inveniſſe negat: non exactam, & omnibus numeris abſolutam Legi divinæ præſtandam Obedientiam, etiam ſanctis Prophetis & Apoſtolis olim impoſſibilem, requirit: ſed languorem & ſocordiam in ſtudio Pietatis vituperat, ſimulque futurum innuit, iſtum Somnum in Lethargum incurabilem degeneraturum, Animarumque Mortem creaturum triſtiſſimam: cui tamen malo haud commodius poſſit obviam iri, quàm ſi acceptorum & auditorum memores, fideliter ſervanda ſervaverint, & ab iſtâ ſecuritate excitati, maturè expergiſcerentur.

Μνημόνευε οὖν πῶς εἴληφας καὶ ἤκουσας, καὶ τήρει, καὶ μετανόησον. *In mente ergò habe, qualiter acceperis & audieris: & ſerva, & pœnitentiam age.*) Ut accepta & audita ſervent & cuſtodiant, non ſinè causâ admonentur noſtri *Sardenſes.* Perquàm enim neceſſaria eſt noſtris temporibus hæc admonitio. Quippe Patres noſtri multò feliciores fuerunt in *accipiendo*, quàm nos in *conſervando.* Illi puritatem Doctrinæ nobis reliquerunt integram & illibatam: Nos ad vomitum ceu canes redimus, & antiquam idololatriam Templis Scholisque reducimus. Sæpè equidem mirari ſoleo, quomodo noſtri Majores, tam densâ Papatûs caligine immerſi, tot Templa & Scholas à fermento papiſtico repurgare, illisque in tot Provinciis & Regnis, puros Doctores præficere potuerint: cùm Nos ipſorum Poſteri in Luce Evangelicâ nati & educati, Religionem integram ac puram conſervare haud valeamus; ſed indies jacturam patiamur non contemnendam. Excluſa quippe pluribus Regionibus & terris gemit Orthodoxia, & exulat Veritas, priusque abjecta illa & conculcata Idolomania pontificia rurſus caput extollit, & cornu feroci ſuperbiens furit.

Sed in promtu cauſa eſt! Zelo domûs Dei deſtituimur, & *ex Conſvetudine ſaltem credimus.* Noſtri Majores verè, vi Veritatis adacti, id quod ipſi probaverant, recipiebant, & ſic *deliberato conſilio* (quod in negotio Religionis fieri debet) *ſapiebant*; adeoque nobile illud depoſitum ad Poſteros ſuos propagare ſtuduerunt; Deus verò lau-

dabilem illorum conatum, ex amore Veritatis provenientem, benedictione suâ largâ, ad Nominis sui gloriam, clementer fovit ac juvit. Cùm econtrà tepidæ nostræ socordiæ his persecutionibus & pressuris stimulum addat, quò excitati seriò id agamus, quod agimus, & de Christianismo nostro, deq; Orthodoxiâ aliquantulum simus solliciti.

Ἐὰν οὖν μὴ γρηγορήσῃς, ἥξω ἐπί σε ὡς κλέπτης καὶ, οὐ μὴ γνῷς ποίαν ὥραν ἥξω ἐπὶ σε. *Si ergò non vigilaveris, veniam ad te tanquam fur, & nescies quâ horâ veniam ad te.*) Imminere periculum somniculosis istis Sardensibus, hæc verba innuunt: & res proh dolor! palam est. Nam Bohemia, Carinthia, Austria, Moravia, nostraque Silesia (alias terras & regiones ut taceam) casibus suis tristissimis fidem fecerunt huic Vaticinio, simulque evidenti fuerunt documento, hanc comminationem non sinè causâ fuisse prædictam; sed *eventu* nimis verè nobilitatam.

Oppressit enim Hora tentationis, seu calamitas persecutionis, ceu fur in nocte inopinatos incolas istarum Regionum & florentissimas corrupit ac perdidit Ecclesias. Et quis scire potest, quid aliis terris, nobisque ipsis adhuc, immineat mali? quæve & qualia fata hanc vel illam provinciam & Regionem maneant. Sævit adhuc procellosum Mare, & Brachio seculari nixa tumultus ubique concitat Hæresis Babylonica, nec otiosè dormitare Christicolas patitur. Quin si nostram Apocalypsin consulimus, multa instare mala reperiemus. *Væ* primum nondum præteriisse, succedere tamen mox alterum, priori multò atrocius, & magis sævum; adesse tempus, quo *Phialæ iræ divinæ* effundantur, & omnia in pejus ruere docebimur. Undè meritò nobis omnibus est vigilandum, ne horâ tentationis, ceu fure in nocte, obruamur & perdamur. Hæ enim præmonitiones Apocalypticæ simul sunt futurorum eventuum prædictiones.

Ἔχεις ὀλίγα ὀνόματα καὶ ἐν Σάρδεσιν, ἃ οὐκ ἐμόλυνεν τὰ ἱμάτια αὐτῶν, καὶ περιπατήσουσι μετ' ἐμοῦ ἐν λευκοῖς. ὅτι ἄξιοι εἰσιν. Ο νικῶν, οὗτος περιβαλεῖται ἐν ἱματίοις λευκοῖς. καὶ οὐ μὴ ἐξαλείψω τὸ ὄνομα αὐτοῦ ἐκ τῆς βίβλου τῆς ζωῆς, καὶ ἐξομολογήσομαι τὸ ὄνομα αὐτοῦ ἐνώπιον τοῦ πατρός μου, καὶ ἐνώπιον τῶν ἀγγέλων αὐτοῦ. *Sed habes pauca nomina in Sardis, qui non inquinaverunt vestimenta*

sua

sua: & ambulabunt mecum in albis, quia digni sunt. Qui vicerit, sic vestietur vestimentis albis, & non delebo Nomen ejus de Libro Vitæ, & confitebor Nomen ejus coram Patre meo, & coram Angelis ejus.)

Non adeò in totum degeneravit hæc Periodus, ut solummodò moribunda corpora, & somniculosos progigneret Christianos: sed habemus etiam fortes & præclaras Animas, nullâ heterodoxias labe notatas, aut facinorum inquinamento sordidatas. Dare possumus strenuos Veritatis assertores & propugnatores, qui in acie contra quascunque Hæreses stare & possunt, & volunt. Ostendere possumus, qui in medio hostium Veritatem Christi propalam confiteri non vererentur, utut sint multis ludibrio & derisui. Habuimus, Dei gratiâ, Viros & Fœminas, qui Religionis ergò, Domus, Agros, reditus, honores, Cognatos, fratres, sorores, Liberos & Parentes reliquerunt, Ipsi extorres, exules, vagabundi, palantes in squalore, æstu, fame, siti, & miserandâ paupertate Vitam transigentes. Ostendere possumus, qui Carceres, qui Catenas, qui tormenta perpessi sunt ob Orthodoxiam, nec tamen vinci potuerunt, ut abnegarent, licet vincirentur; sed dum pro victis habentur, gloriose & vicerunt, & triumpharunt. Quin & ejusmodi Martyres exhibere possumus, qui sanguinem & Vitam ipsam ob Confessionem Fidei profundere non dubitarunt. Nec de unâ aut alterutrâ animulâ nobis sermo est; sed magnam ejusmodi Sanctorum nubem, magnumq; Exulum piorum, & probatorum Christianorum numerum, producere possemus: licet in comparatione ad Cœtum abnegantem, vel ad tepidos & somniculosos, *pauca* sint & dicantur *Nomina*; & vix centesimus quisque huic sancto Choro sit ascribendus. His itaque *Vestimenta alba* Christus promisit, nimirum Innocentiam, suo tempore declarandam, & Victoriam de hostibus cum gaudio reportandam: simulque illos certiores reddit, ipsorum Nomina Libro Vitæ esse inscripta indelebiliter, seq; coram Patre suo cœlesti, & Angelis ejus ista esse professurum pollicetur.

Quæ magnifica Promissio, ex ore Veritatis profecta, hodiè cunctis Tentationibus, seu comminatoriis, seu blandientibus, est opponenda.

Concluditur Epistola consueto Epiphonemate: *Qui habet au-*

res audiendi audiat, quid Spiritus dicat Ecclesiis: de quo *suprà* actum est satis.

Et hæc de Epistolâ.

Sigillum quintum. Sequitur jam *Sigillum Quintum*: quod *Cap.* VI *à v. 9. ad* 11. describitur, his verbis:

Καὶ ὅτε ἤνοιξε τὴν πέμπτην σφραγίδα, εἶδον ὑποκάτω τοῦ θυσιαστηρίου τὰς ψυχὰς τῶν ἐσφαγμένων διὰ τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ, καὶ διὰ τὴν μαρτυρίαν ἣν εἶχον. Καὶ ἔκραζον φωνῇ μεγάλῃ, λέγοντες, ἕως πότε ὁ δεσπότης ὁ ἅγιος καὶ ὁ ἀληθινὸς οὐ κρίνεις καὶ ἐκδικεῖς τὸ αἷμα ἡμῶν ἀπὸ τῶν κατοικούντων ἐπὶ τῆς γῆς; Καὶ ἐδόθησαν ἑκάστοις στολαὶ λευκαὶ, καὶ ἐῤῥέθη αὐτοῖς ἵνα ἀναπαύσωνται ἔτι χρόνον μικρὸν, ἕως οὗ πληρώσονται καὶ οἱ σύνδουλοι αὐτῶν, καὶ οἱ ἀδελφοὶ αὐτῶν, οἱ μέλλοντες ἀποκτείνεσθαι ὡς καὶ αὐτοί. *Et cum aperuisset Sigillum quintum, vidi subtus Altare Animas interfectorum propter Verbum Dei, & propter testimonium quod habebant. Et clamabant voce magnâ, dicentes: Usquequò Domine, (sanctus & verus) non judicas, & non vindicas Sanguinem nostrum de iis qui habitant in terrâ? Et datæ sunt illis singulæ Stolæ albæ: & dictum est illis, ut requiescerent adhuc tempus modicum, donec compleantur conservi eorum, & fratres eorum, qui interficiendi sunt, sicut & illi.)*

Ex hoc Textu *Invocationem Sanctorum* exsculpere conantur Pontificii: sed ipsorum strophas, & ineptas argumentationes pluribus retundit *Excellentissimus Dn. Dorscheus in Scrupulis, sub Scrupulo sexto*, qui hac in parte videndus. Nos, missis Doctrinalibus, de genuino hujus Vaticinii Sensu, seu de primariâ intentione Spiritus S. hæc revelantis sumus solliciti. Ante omnia autem meminerimus, Beatum *Johannem* in Apocalypsi Vaticinium scribere, & referre, non quid Sancti Martyres in cœlis jam agant: sed quid sub *Sigillo quinto*, seu, quod idem est, *sub Periodo quintâ, in Ecclesiâ Militante* fieri debeat. Apparitio itaque Animarum sub Altari, Vociferatio & expetitio Vindictæ; simulque Responsum cœlitus datum, Actus sunt ad quintam Ætatem pertinentes; iisque status istius temporis ænigmaticè depingitur. Quid itaque illa Apparitio & Vociferatio sibi velint, probè dispiciendum. Nec enim sufficit, generaliter dicere: Animas interfectorum ob Verbum Dei, eo modo, quo & Sanguis

Abelis

Abelis *Gen.* IV. clamare ad Deum, & Vindictam exposcere: de eo enim nullum est dubium. Quin cujusque Martyris Sanguis, quamprimùm effusus est, eo modo, ut Sanguis Abelis & Zachariæ, continuò clamavit, & etiamnum clamat de terrâ ad Cœlum, & vindictam à justo judice expetit & expectat. Sed quare demum sub apertione *Sigilli quinti* in theatrum producantur vociferantes istæ Animæ? ceu tum demum expergefierent, & peculiare aliquid à Deo efflagitarent, in quæstione est?

Monui autem *suprà, Sigillorum Apertione* non tantùm notari, quid illo tempore futurum sit; sed simul *signatam aliquam Scripturam resignari*, seu Locum obscurum Veteris Testamenti unum aut alterum exinde novam accipere lucem. Idipsum hac Visione etiam præstatur. Vocula enim *Altare* probè consideranda venit; quippe quæ in hoc sensu aliquoties in hoc Libro occurrit: ut *Cap.* XI. *v.* 1. *Surge, & metire Templum Dei, & Altare, & adorantes in eo.* itemque *Cap.* XIV. *v.* 18. *Et alius Angelus exivit de Altari, qui habebat potestatem super Ignem:* Et *Cap.* XVI. *v.* 7. *Et audivi alium ex Altari dicentem.* In quibus locis peculiare quidpiam indigitari hâc voculâ satis patet. Hac ipsâ autem Visione, & Sigilli apertione, manifestum evadit, respici hoc vocabulo *ad Mactationes Animalium, & Sacrificia in Veteri Testamento usitata*, & à Deo præcepta; & proinde commodissimè *tempus Persecutionis* figurare: uti fusius *paulò post ad Cap.* XI. *Apocal.* sum ostensurus. Nec enim otiosæ Ceremoniæ fuerunt ista Holocautomata, & variæ mactationes Agnorum & Volucrum: sed typicæ rerum futurarum adumbrationes & prophetiæ, partim illud Christi Sacrificium expiatorium, partim violentas sanctorum Martyrum immolationes, repræsentantes. Hinc etiam proprio ausu sacrificans, nec Sacerdoti offerens, Sanguinis æquè reus postulatur, ac si Sanguinem Humanum effudisset, *Levit.* XVII. *v.* 4. Et hinc est, quòd propter Verbum Dei interfectorum Animæ, sub Altari conspiciantur, ceu Hostiæ sacræ, olim typicè mactatæ & immolatæ.

Sed quomodo huic Periodo convenit hæc Visio? & quare obsecrò sub hoc Sigillo quinto demum conspiciuntur? cum tamen constet, ejusmodi Victimas plures superioribus temporibus immolatas fuisse, ac hodiè nostrâ Periodo quintâ; licet nec ipsa immunis sit ab effuso Sanguine Martyrum? Rectè verò ita! quia quod sub hoc Si-

gillo, seu hoc tempore, Vindictam expoſcere debebat, id priùs injuriam paſſum fuiſſe neceſſum eſt. Hac ipsâ itaque Viſione, ex conſequenti denotatur, quid anteceſſerit, & quantâ cum crudelitate conflictata fuerit Eccleſia, per priora illa quatuor Sigilla, ubi horribiles lanienæ, & innumeræ cædes, & innoxii Sanguinis rivi ac torrentes, omnem Hiſtoriam conſpurcant.

Simul tamen Status hujus Ætatis quintæ adumbratur, & Eccleſiæ deſiderium, Vindictam expoſcentis exprimitur: non tamen, tàm ob vociferationem Animarum, quàm ob Reſponſum hac ipsâ Periodo dandum, & accipiendum. Semper enim Eccleſia, non demum hoc tempore, liberari deſideravit: ſemper juſtum Dei judicium imploravit; ſemper etiam vindictam in hoſtes contumaces efflagitavit. Nec enim hæc vindictæ efflagitatio Sanctos dedecet: nôrunt enim Deum & ſanctum & veracem eſſe, nec impunitas tot cædes poſſe permittere: Unde, licet Omnibus benè cupiant, & uniuscujusque æternam ſalutem cordicitus expetant; tamen cum obcœcatos, & inſano furore percitos vident, Voluntati divinæ morigeri, ejusmodi ultione Nomen Jehovæ ſanctificari ſeriò precantur, adeoque armis iſtis ſpiritualibus, Lacrymis nimirum & gemitibus contra hoſtium caſtra repugnant.

Suſpiria itaque iſta non demum ſub Sigillo quinto naſcuntur; ſed jamdudum ab initio fuerunt Eccleſiæ ſolennia, eruntque ſemper. Quòd autem facto quaſi agmine beati Martyrum manes prodeunt, & quaſi reviviſcunt, id ſingulare quidpiam hac ætate futurum denotat. Et ſi nihil aliud exinde diſcere poſſemus, hoc tamen perſpicuè concludere valeremus, hoc Sigillo fluere adhuc *Mille illos annos*, inter Eruditos tam decantatos, & tam miſere vapulantes, quibus Draco ligatus eſt. Introducuntur enim & ibi Animæ decollatorum propter Teſtimonium Jeſu, *Reviviſcentes*. Sed de his *alibi* latius: jam dico, belle convenire Vaticinio cum *Eventu*. Ex quo enim Papalium tenebrarum nox receſſit, & jubar Evangelii radios ſuos longè latèque diſperſit; (quod hac Periodo factum eſſe nemo ignorat) ſemper extiterunt acerrimi Veritatis defenſores ac vindices, qui Papatum ejusque aſſeclas, fuſi ſanguinis poſtulârunt, & in jus quaſi obtorto collo rapuerunt. Hinc omnes Cathedræ & Pulpita perſonârunt, propè eſſe tempus Vindictæ & ultionis, inſtare diem Domini;

yenis

venisse AntiChristum, & manifestatum esse Filium perditionis in Templo Dei sedentem: nec ullo unquam tempore in judicia Dei magis inquisitum est, ac nostro & superiori seculo fuit factitatum. Quot quæsò vel Urbis Romæ panolethrias determinatores vidit hæc ætas? ubi hic hunc, alius alium huic excidio annum destinavit. Utut irritus fuerit conatus; nec prædictionibus Eventus responderit: attamen Sanguinis ad cœlum de terrâ clamantis signum, & documentum dedit illustre; beatorumque Martyrum manes ultionem urgentes, ceu redivivos in Theatro Ecclesiastico stitit. Quot itidem Explicationes Apocalypsis vidimus, tot etiam Sanctorum decollatorum Clamores audivimus. Omnes quippe Interpretes necessum habuerunt docere: in Urbe Româ *sanguinem Prophetarum & Sanctorum inventum esse & omnium qui interfecti sunt in terrâ*; uti habetur *Cap.* XVIII *vers ult.* Hos omnes, ceu vindices sacri effusi cruoris spectavit hæc ætas, & etiamnum spectat, præ tædio moræ, & ex justâ sanctæ Vindictæ cupiditate, clamantes: *Usquequò Domine taces, & non judicas!*

Audivimus *Clamorem*: audiamus etiam quid *Responsi* Nobis cœlitus detur. Non denegatur postulatum; sed in breve tempus differtur, simulque quæ fata maneant Ecclesiam, paucissimis docetur: nimirum instare gravissimam persecutionem, trucidandos esse conservos ac fratres, ut compleantur tàm numerus Martyrum, quàm mensura iniquitatis.

Verba autem per se nihil obscuritatis habent: in eo saltem omnis difficultas consistit, ut Vaticinium rectè suis terminis includatur, & perspicuè ostendatur, ad quam Temporis periodum pertineat. Nec enim omni tempori convenit hoc Responsum cœlitus datum; sed in specie ad tempora Sigilli quinti restringitur; & mactatio reliquorum fratrum & conservorum ut Actus futurus jamjam imminens, describitur.

Quicunque igitur evidentibus Argumentis demonstrare poterit, hac vel illâ Periodo contineri Sigillum quintum; eâ ipsâ demonstratione & determinatione Temporis, Vaticinio complementum addet. Quamdiu enim ista determinatio Temporis in incerto est sita, tamdiu illud Responsum non est datum. Licet enim per *B. Johannem Apostolum* sat claris & perspicuis verbis sit annotatum, tamen,

men, cum nesciamus, quibus temporibus sit accommodandum Vaticinium, & num præterierit illud *modicum*, nec ne; permanet sigillatum, nec satis, ut debet, intelligitur, & proinde fructum Ecclesiæ præstat perexiguum. Verùm enim verò cùm expresse addatur: *Dictum est eis*, scilicet *Vociferantibus illis*: nullum est dubium, quin etiam idipsum hac quintâ Ætate sit futurum: uti jam etiam fit.

Non defuerunt equidem hactenus Viri eruditi & illustres, qui Vaticinia in Sacris revelata paulò intentiori oculo contemplati sunt, & exinde de Fatis Ecclesiæ edocti, perquàm commodè monuerunt, restare adhuc nonnulla adimplenda, priusquàm veniat Dies ille pantocriticus extremi judicii; nimirum *Babylonis mysticæ corporalem destructionem*; *Gogi Magogiq; interitum*, *& Persecutionem illam magnam*, de quâ Christus *Matth* XXIV. vaticinatur; & hac ipsâ doctrinâ aliquatenus hoc Vaticinium adimplêrunt. Sed cùm omnia jam præ foribus esse opinarentur, & nimis angustos terminos actibus istis tam celebribus præscriberent, eosq; non ex mente Spiritus Sancti, sed ex proprio lubitu definirent, nihil solidi in hanc usque diem protulerunt.

Multa quidem Vaticiniorum interpretamenta vidimus: sed ne γρῦ quidem rerum futurarum exinde didicimus: quin interdum nugas & deliramenta etiam spectavimus: semper spe vanâ lactati falsi fuimus, nec ad fundum hujus prophetiæ penetrare potuimus. Quid autem causæ obstiterit Interpretibus, *suprà* fusè *Cap.* I ostensum est: principes autem partes obtinuit *neglecta Temporis ratio*; quæ determinatio *Temporis* quòd maximè sit necessaria, vel hoc ipsum, de quo agimus, Responsum evincere potest. Spero autem Me hac in re difficillimâ & intricatâ (quod tamen absque omni jactantiâ, de quo testem Deum voco, dixerim) glaciem fregisse, & in hoc rapidissimo vortice vadum aliquod invenisse. *Chronotaxin* enim *Apocalypticam suprà Cap.*VI. *hujus Opusculi* luculenter ostendi, eamque firmiter probavi, insuperque Harmonico Concentu per totum Libellum magis magisque confirmaturus sum. Publicatione itaque hujus Scripti, illud Responsum Ecclesiæ dabitur: quia tum demum illud solidè intelligetur. Tum constabit de Periodo hujus Sigilli quinti: constabit de periodis Tubiciniorum & Phialarum, & liquidò scietur, ad quæ tempora, aut ad quos annos *Angelus Tertiæ Phialæ*, qui

Cap.

Cap. XVI. introducitur, pertineat: is enim Phialam suam *super flumina & super fontes aquarum* (hoc est, super Regna & Populos) *effundens exclamat: Justus es Domine, qui es, & qui eras Sanctus: qui hoc judicâsti. Quia Sanguinem Sanctorum & Prophetarum effuderunt, & Sanguinem dedisti illis bibere: digni enim sunt.* Cui *alter ex Altari* (quod verbum *Vulgatus* non habet, sed in *græco* est, ἐκ τοῦ θυσιαστηρίου) accinit: *Etiam Domine Deus omnipotens, vera & justa judicia tua.* Quod Vaticinium promissæ in hoc quinto Sigillo Vindictæ aliqualem Executionem proponit: ut ex identitate materiæ, iisdemque Titulis Deo hîc & ibi attributis colligi potest. Cognoscetur etiam tum tempus *Septimæ Phialæ*, ad quam totalis destructio Babylonis mysticæ rejicitur, ut habetur *Cap.* XVI. *v. 19. Et Babylon magna venit in memoriam ante Deum, dare illi Calicem indignationis Iræ ejus.* Constabit etiam, quando futura sit illa tam tristis, & omnium temporum sævitiam vincens *Persecutio*, & quàm diu sit duratura. Ut ita verè, non ex conjecturâ aliquâ fallibili, sed ex solidis Verbi divini Oraculis, *Responsũ acceptura sit Ecclesia*, & verè cœlitùs de futuris erudietur.

Restat, ut *de Stolis albis* pauca addamus: nam & de illis admodùm solliciti sunt Interpretes: Non enim convenire arbitrantur, ut demum post tam longum tempus aliquid felicitatis seu Beatitudinis (quicquid illud sit, quod per *stolas albas* indigitatur) sanctis Animabus accedat; (de *Animabus* enim loquitur Textus,) utpote quæ è vestigio, ut è corporibus evolârunt, Beatitudine salvifica, sine omni mutabilitate fruuntur. Sed salva res est! Eo modo, quo clamant & vindictam expetunt sanctæ Animæ, eo etiam modo ipsis datur Responsum; & eo modo etiam Stolas albas accipiunt, nimirum in his terris in Ecclesiâ militante. Cum enim ab hostibus Veritatis trucidantur, aut affliguntur, non ut servi Dei, aut Sancti habentur; sed ipsorum fama & existimatio simul denigratur, & ceu catharmata, & homines scelestissimi è medio tolluntur, non sinè stultæ plebeculæ applausu. Posteri tamen meliora edocti, vel seriò resipiscentes, vel, ex consuetudine hypocriticâ Sanctitatem simulantes, cùm Prophetarum & Martyrum sepulchra ædificant, deq; illis honorificè sentiunt & loquuntur, *Albis Stolis* illos vestiunt, hoc est, innocentes & sanctos pronunciant. *Candor* enim innocentiæ & sanctitatis symbolum est. Contingit id hodiè beatis illis Confessoribus, & papatûs oppugnatoribus, qui Bonis & Vitâ superioribus

Periodis, ob testimonium Jesu, exuti sunt: Hos enim, non ut *Hæreticos* (sub quo titulo olim svapulabant & denigrabantur); sed *sanctos & fideles Christi Martyres* agnoscit Ecclesia Orthodoxa. Et hoc est illud, quod dicitur *Unicuiq; Stolam albam datam fuisse*. Martyres ab Ethnicis ob Veritatem interfectos, jamdudum in Sanctorum numerum retulit Ecclesia: sed Papatûs oppugnatores, hac demum sub Periodo publicè innocentes sunt proclamati. *Breviter: Vociferatio Animarum*, statum Ecclesiæ militantis hodiernum, Papatum accusantis: *Responsum cœlitus datum*, modernam futurorum Revelationem: *Stolla albæ*, declarationem Innocentiæ optimè figurant & repræsentant: Ut ita nihil scrupuli hæc Visio nobis gignat.

Et tantùm de Sigillo quinto.

Tubicinium quintum. Angelus trinum VÆ denuncians.

Tubicinium Quintum σὺν Θεῷ aggrediemur. Habetur illud *Apocal. Cap.* IX. *à v.* I. *ad* 12. *inclus.* Præmittitur autem descriptioni huic immediatè *Angelus* TRINUM VÆ denuncians *Cap.* VIII. *v.* 13. *& ult.* Cùm verò Tubicinium quintum Primum illud VÆ repræsentet, quod ex *v.* 12. *Capitis* IX. liquet, ubi Visio his verbis concluditur: *Væ unum abiit, & ecce veniunt adhuc duo Væ posthac*: *Chronotaxis* requirit, ut priusquam de *Tubicinio* agamus, *Angelum istum Ternum Væ ingeminantem* audiamus & contueamur, ne contra decorum peccetur. Sic autem *Textus* habet: *Et vidi, & audivi vocem unius Aquilæ, volantis per medium Cœli, dicentis voce magnâ: Væ, Væ, Væ habitantibus in terrâ, à cæteris vocibus trium Angelorum, qui erant tubâ canturi.* Sic *Vulgata*. Sed *Textus græcus* aliter habet: Καὶ εἶδον, καὶ ἤκουσα ἑνὸς ἀγγέλου πετωμένου ἐν μεσουρανήματι, λέγοντος φωνῇ μεγάλῃ. Οὐαὶ, οὐαὶ, οὐαὶ τοῖς κατοικοῦσιν ἐπὶ τῆς γῆς, ἐκ τῶν λοιπῶν φωνῶν τῆς σάλπιγγος τῶν τριῶν ἀγγέλων τῶν μελλόντων σαλπίζειν.)

Diversa siquidem hoc loco occurrit Lectio, aliis Exemplaribus ἀετοῦ, aliis ἀγγέλου legentibus. Illud nisi in gratiam *Versionis Vulgatæ* factum est, exinde facilè ortum duxit; quia hic Volatus fit mentio: sed determinatio addita, ἑνὸς ἀγγέλου, Lectionem τοῦ Ἀγγέλου præferendam esse monet: cui parallelismus etiam *Cap.* XIV. bellè respondet; idem enim *Angelus* ibidem *v.* 6. *&* 7. pleniori filo & stylo depingitur.

Angelos autem *Apocalypticos* certas Temporum Periodos, in Eccle-

Ecclesiâ Novi Testamenti transigendas, Actibus suis celebres, monstrare, dictum jam est aliquoties, idem ergò de *hoc Angelo ternum Væ denunciante* esto judicium. Sistit enim nobis Periodum *Septingentorum circiter Annorum*. Unde id sciam, rogitas, *Lector*? Ex Characterismis adscriptis eruo, & firmiter concludo.

Μεσουράνημα enim, quod Astronomis *Medium Cœli, seu Meridiem* notat, aptâ similitudine *medium tempus Cœli Ecclesiastici* figurat. Unde patet, hunc Angelum complexu suo *totum Tubicinium Quartum*, quòd rectissimè vocatur, & est *Medium Cœli*, continere. Septem enim Tubiciniis æqualibus totam Periodum Ecclesiæ absolvi, suprà probatum est firmiter: jam autem *Quartum* inter *Septem* est *Medium*, ab utroque latere ternario stipatum. Non autem finito *Tubicinio quarto*, etiam finitur hujus Angeli Periodus, sed ultrà extenditur, & *magnam partem Tubicinii quinti* (unde *voce magnâ* clamare dicitur) continet, uti *infrà*, ubi de hoc Angelo plura dicenda erunt, fusiùs probabitur.

Jam ad *Officium* ejus attendamus, & quid novi apportet hic *Angelus*, videamus. *Denunciat autem Ternum VÆ habitatoribus terræ, & tria adhuc superesse Tubicinia monet.* Ad complementum igitur hujus Vaticinii pertinet, ut fuerit aliquis, qui docuerit & monstraverit, TRIA adhuc superesse VÆ: expresè enim determinat Angelus esse adhuc futura.

Jam verò si quis attento oculo *totam Historiam Ecclesiasticam* perlustrârit, Nullus ostendi poterit, qui exactè monstrârit, *hæc Tria Tubicinia, tum cùm ipse scripsit & docuit*, (quod maximè necessarium est) adhuc fuisse futura. Superesse equidem nonnulla adhuc adimplenda, viderunt & docuerunt hoc & superiori Seculo multi: ast, qui determinatè id possit ostendere, repertus est nemo. Et si conati fuerunt, incertis conjecturis nitentes, nihil solidi, cui tutò acquiescere possemus, protulerunt: & tamen illa Determinatio maximè erat necessaria.

Si itaque, *Benigne Lector*, citra affectum judicare volueris, liquidò cognosces, HODIE *Angelum illum clamare*. Ostendi enim, Dei beneficio, quodnam MEDIUM *Cœli* sit, seu, *medium tempus Periodi Ecclesiasticæ* monstravi, quod ante me nemo (absque arrogantiâ dico!) præstitit. Ostendo, nondum præteriisse *Tubicinium quintum*: superesse *Tria* VÆ exantlanda, & quando ea futura sint, doceo. Ostendam etiam bono cum Deo, *Phialam Primam Iræ divinæ* adhuc pertinere ad *Tubicinium quintum*, indies effundendam: & hinc *Primum* VÆ nondum præteriisse.

Ergò *Tu es ille Angelus ternum Væ denuncians*, inquies, Lector Amice?

mice? & naso adunco', & labiis contractis me fortè subsannabis, utpotè tenuitate meâ offensus? Sed, quisquis es, qui hoc legens, hoc Responsum habe: *Non sum Angelus ille, sed Pars illius, & fortè non ignobilis,* si absque jactantiâ dicere possum.

Nam *Angelus* hic, ut *anteà* monui, non unam aut alteram *Personam hujus vel illius Doctoris* repræsentat; sed *Periodum benè longam & latam*, unà cum omnibus & docentibus & discentibus, seu omnibus Christianis; licet digitus ad hunc vel illum Actum, ab hoc aut illo Doctore, ceu instrumento, exequendum intendatur.

Mutuatus est autem hunc *Angelum* Johannes ab *Ezechiele*, ex *Cap.* II. ubi Prophetæ volumen libri comedendum porrigitur, in quo aperto scriptum erat קִנִים וָהֶגֶה וָהִי: *Lamentationes, & Gemitus, & Væ:* quæ tria vocabula hoc triplex VÆ rectissimè exprimunt: simulque innotescit, *Angelum cum aperto Libro Apoc.* X. (de quo *infrà* pluribus agetur) cum hoc *Angelo nostro* Synchronismum constituere. Et præterea, quæ apud *Ezechielem hoc loco* habentur, benè ponderanda veniunt, quia ibidem prædicta, per Analogismum Temporis, hisce nostris Temporibus accommodantur.

Et tantum de tribus illis VÆ: Reliqua, quæ huic *Angelo* tribuuntur, *alio loco* considerabimus.

Locustæ. Jam θέαμα *Quinti Tubicinii, Locustas,* quas à *Mose* mutuatus est noster Johannes, contemplabimur. Illas ut dignoscere valeamus, accurata Temporis habenda est ratio. Ad *Tubicinium* ergò *Quintum* restringitur illarum Periodus, nec ultra illum Terminum prorogari potest: Expressè enim Spiritus S. testatur, *VÆ primum,* quod illæ venenatis suis aculeis causabantur, *finito quinto Tubicinio*, præteriisse. Non itaque frustraneus erit labor, si de *Quintâ Ecclesiæ Ætate*, in quæ tempora illa incidat, fuerimus solliciti: quò dispicere queamus, prætererieritne hoc *Væ primum?* an supersit adhuc? aut anne labatur? *Nota* enim *Parei* nullius valoris est, cùm scribit: *Notandum, Tubam quintam & sextam non ordine sibi succedere, sed παραλλήλως tempore se comitari: Eventuum verò qualitatibus & locis differre.* Hæc, inquam, nullius sunt ponderis: nec enim ita scripsisset, si ultima verba hujus Visionis satis expendisset: *Væ unum abiit, & ecce veniunt adhuc duo Væ posthæc.*

Tubicinium igitur *Quintum*, & nullum aliud tempus, Periodum harum Locustarum exhibet: unde nec *Arrianis*, nec *Saracenis*, nec aliis ex antiquitate Hæreticis hæc Visio, ob repugnantiam Temporis, accommodari

modari

modari poteſt. Quicunque ergò illas nobis oſtendere voluerit, neceſſum habebit, evidentibus rationibus demonſtrare, illud Tempus, in quod Animalcula iſta rejicit, clangorem Tubæ quintæ non excedere, aut præverti, ſed cum eo coincidere. Id niſi fecerit, nihil ſolidi, cui tutò inniti poſſit, proferet: ſed conjectando, ceu pueri ſolent, quando par impar ludunt, rem hanc obſcuram tractabit. Conſiderare id debebant Interpretes, & inter hos etiam Pontificii, qui magno auſu jactitant, Nos *Lutheranos* eſſe illas Locuſtas: unde *Bellarminus* eas etiam *Animalcula Lutherana* vocitat.

Si interrogandi forent, quibus rationibus & argumentis demonſtrare poſſent, eo ipſo tempore, quo prodierint *Lutherani*, fluxiſſe Tubicinium quintum, (id enim probari debet) credo, præter ſalivam & opinionem nihil habituros, quod reponerent: & tamen hoc commento ſibi admodùm bellè placent. Quod tamen ut magis poſſint; agè concedimus & ultrò largimur illis, *Tempus Tubicinii Quinti, coincidere cum tempore Reformationis per Lutherum inſtitutæ. Suprà* enim *Capite* VI. fusè probavi, Tubicinia hæc eſſe æqualis quantitatis, & quodlibet eorum conſtare ſeptem Jubileis vulgaribus, ſeu annis 343. Calculus itaque ductus, *initium* hujus Tubæ, *Annum* 1405. *Æræ Chriſtianæ* monſtrat, & *hoc Anno* LXIII. de ſummâ ipſius Periodi adhuc 84. anni adimplendi reſtant: *Finis* enim hujus Tubicinii in Annum 1747. incidet. Ergò *in Seculo decimo quinto, decimo ſexto, aut decimo ſeptimo poſt Chriſtum natum,* quærendi erunt iſti *quinq; Menſes Locuſtis ſacrati.* Meminerint autem Adverſarii, non ſolum iſtâ Ætate prodiiſſe *Lutherum*; ſed & *Jeſuitas*, à *Lojolâ* prognatos, Mundo & Eccleſiæ fuiſſe obtruſos. *Utris* igitur rectiùs accommodari queat Viſio, *Lutheranisne, an Jeſuitis*, probè & citra omnem affectum, diſpiciendum.

Præprimis autem *Regem harum Locuſtarum* contemplabimur: dicitur is *Angelus Abyſſi; & Stella, cui Clavis putei abyſſi commiſſa eſt*, πεπτωκὸς dicitur, *quæ ceciderat*, ſcilicet *ante hoc Tubicinium quintum.*

Obſervandum enim, quòd Johannes non dicit, ut prius, ἔπεσεν ἐκ τοῦ οὐρανοῦ, *cecidit de Cælo*; nec dicit καὶ εἶδον πεπτωκέναι, *& vidi cecidiſſe*, ut *Vetus*, & *Beza* reddidit: ſed dicit, *Vidi ſtellam* πεπτωκότα, *delapſam, ſeu quæ ceciderat*, quod *Præteritum*, Hebræorum more, ſimul actionem permanentem denotat. Colligere autem iterum ex hoc Synchroniſmo alterum mille annorum initium poſſumus, id enim Spiritus S. in tertium Tubicinium conjicit. Tria namque Tubicinia Mille & viginti novem

Annos comprehendunt: num verò mox ab initio tertii Tubicinii incipiant, & cum quinto finiantur; aut an pauculis annis Tubicinium quintum egrediantur & superent, nec ne, *posteà*, exactius disputabimus: nunc tantùm illud ὡς ἐν παρόδῳ notamus. Conferri autem hic possunt ea, quæ ad Periodum tertiam annotavi, ubi *de hac Stellâ de cœlo cadente* egi, & illo casu, Corruptelas Doctrinæ & superstitiones in Cultu Tertiâ Ætate ortas, figurari docui; inprimis autem notari *Apostasiam Romani Pontificis*, quæ circa illa tempora contigit, monui. Id quod etiamnum assero: unde *Rex ille Locustarum Abaddon, perditio*, vel Ἀπολλύων, *perdens* dicitur, ut digitus intendatur ad locum *Paulinum* II. *Thessal.* II. ubi *Antichristus Filius perditionis* vocatur, utpotè non solum ipse periens, sed multos alios insuper secum æternùm perdens.

Illum itaque *Regem* agnoscunt *Locustæ*, qui olim sub *Tertiâ Periodo* Apostata factus, sub hoc *quinto Tubicinio* adhuc præstò est, Clavemque Abyssi administrat & moderatur; quod de nullo solitario Doctore dici potest, sed de Statu, aut multis individuis certâ serie in uno statu sibi invicem succedentibus intelligi debet, qualis est *Sedes Papalis*. Nullo igitur modo *B. Lutherus* per hunc Regem adumbratur, quippe quod Doctrinam ejus attinet, non demum *Tertia Ætate* cœpit *sed æternum est Evangelium*, uti *suo loco* docebimus. Ministerium autem ejus in quintam Periodum incidit: Rex verò Locustarum jam Tertiâ Periodo est ortus, uti jam demonstratum, quomodo igitur is Lutherus esse poterit. Sed Apostasia Romanæ Ecclesiæ circa ea tempora contigit, & etiamnũ durat. Unde Sedi Papali hoc Regnum in Locustas jure debetur. Ad Papatum igitur pertinent hæc Animalcula noxia sub quinto Tubicinio orta, & etiam sub hoc ipso peritura.

Quod *Clavis putei Abyssi data* dicitur huic Stellæ de cœlo lapsæ, & quòd *Puteum illum aperuerit*, nihil aliud sibi vult, quàm, permissu Dei justè punientis, futurum esse, ut *Doctrinæ Dæmoniorum*, quas *S. Paulus* vocat, ex abysso Inferni per Pseudo doctores, in certissimam animarũ perniciem, & æternam damnationem proferantur. Nec scrupulosè hoc loco inquirendum est, *à quo Clavis Abyssi huic Stellæ data sit*, à Deo ne, an à diabolo? quia phrasis hæc Johanni aliàs satis usitata est, & consueta, ut nimirum quòd certò futurum est, hac formula loquendi exprimat. Sic *v.* 5. *Datum est eis, non ut occidant, sed ut crucientur*: i.e. non occident, sed cruciabuntur. Sic *Cap.* XIII. aliquoties hæc phrasis occurrit, præsertim *v.* 7. *Datum est illi bellum gerere cum Sanctis, & vincere eos*, i.e. pugnabit adversus Sanctos, & vincet,

Fu-

Fumus autem *de puteo Abyssi ascendens, Solem & aerem obscurans*, nihil aliud notat, quàm Sophismata & fallacia Scripta Veritati Evangelicæ opposita, quæ sub hoc quintum Tubicinium magno satis numero evolarunt. Ex quo enim jubar Evangelii radios suos coruscos longè lateque dispersit, &, ex divinâ misericordia, tenebræ papales fugatæ sunt, adeoque Ecclesia Verbi divini fulgore, ceu Aer illuminatus Sole, denuò resplenduit, non destitit Filius ille perditionis, per asseclas suos, Scriptorculos nimirum febriculosos, fumos & fucos vendere miseris Mortalibus, ita, ut cùm antiquam noctem reducere haud posset, aliquam saltem caliginem, hoc controversiarum & inanium quæstiuncularum fumo, incautis oculis objiceret. Nec enim religioni sibi duxerunt Veritati oppedere isti assentatores, modo Regimen illud Monarchicum, Ecclesiæ à Pontificibus illatum, sartum tectumque permaneret. Et ex hoc *Fumo* prodierunt nobis hæ *Locustæ*. Novimus enim *Ordinem Jesuitarum* non priùs à *Paulo* III. *Pontifice Romano* approbatum fuisse, quàm promitterent *se majestatem Papæ ita cultoros & honoraturos esse, ut ipsi omnia Conciliorum statuta & decreta subjicerent: labantemque & nutantem Ecclesiam ad gremium ejus, aut si hoc nimium est, ad oscula pedum reducerent: Lutheriq; sectam, quam vocant, penitus extirparent.* Hoc promisso obtinuerunt, ut Vitæ suæ institutum prædictus Pontifex, certâ tamen sub conditione, (*ut nimirum ultra sexaginta Viri, isti Ordini non ascriberentur*) *Anno* MDXL. intercedente Cardinali Contareno approbaret, novamque hanc fœturam Mundo & Ecclesiæ obtruderet. Licet enim & *Propagationem Fidei inter Ethnicos, & Artium liberalium* (quarum tamen ipsi tum satis ignari erant) *spontaneam Professionem*, jactitarent; istis tamen duabus pollicitationibus moveri Pontifex haud potuit, ut oculos & animum benignum ad hos novos Fratres adverteret, donec tertia illa causa, *Exstirpatio nimirum Evangelicorum*, aditum illis patefaceret. Unde etiam cùm præstare crederentur id, quod promiserant, *Anno* MDXLIII. Decretum obtinuerunt, ne ullis vel Locorum terminis, vel Personarum numero *Societas* hæc, nomine JESU insignita, circumscriberetur, ut hodiè Corpus illud immensum brachia sua usque ad Chinam extendat. Et non sine Omine *Anno* 1542. magna *Locustarum agmina* Germaniam, Italiam, & Poloniam pervagata & depopulata sunt, prodromi nimirum magis noxii insecti, anno sequenti confirmandi. Sic enim *Sleidanus*, *Lib.* XIV. *Hac æstate Locustarum infinita turba Germaniam, & Italiam citeriorem volando pervasit: erant autem inusitatâ magnitudine, & ubicunque*

se demitterent, agros depascebant. *Krenzhemius* addit, *varii fuisse coloris, & quatuor habuisse alas.*

Fumus itaque *falsæ Doctrinæ* hunc *Ordinem* progenuit, ut nihil dicam, quòd istius autor & institutor *Ignatius Lojola*, ex lectione *Libri de Legendis Sanctorum*, qui nihil nisi fumum venditat, ad hoc novum institutum sit permotus. *Considerans enim, Germaniam,* (verbis utor *Chemnitii Exam. Concil. Trident. pag. 2.*) *quæ à Pontificiâ sede desciverat, non aliter posse sub jugum Pontificium retrahi, quàm per Concionatores ad hoc idoneos, aliquos igitur ex suis Sodalibus in Germaniam emisit, qui, cùm facto periculo ostendissent, se Ecclesiis Germaniæ suâ hypocrisi plus nocere seu posse, seu velle, quàm reliquas omnes factitias Monachorum Religiones, Johannes Moronius Cardinalis, qui in proximâ Tridentinâ Synodo Legatus fuit Pontificis, & Concilii Præses, consilium communicavit cum Ignatio, quanto usui esse posset Ecclesiæ Pontificiæ, si Romæ amplissimum Collegium construeretur, in quo maxima Germanorum Adolescentum multitudo, in bonis Literis, & Religione, sumtibus Pontificis institueretur, ut tandem in Patriam redeuntes, collapsam & conculcatam Pontificiam Religionem ibi instaurare aliquâ ex parte possent. Et illud opus aggressi sunt Jesuitæ Anno Domini 1553. extructo tali Collegio Romæ, non procul à Jesuitarum Collegio.*

Quomodo autem successerit iste conatus, tristissima Exempla multarum Provinciarum in Germaniâ, uti & Regni Bohemiæ fatum, plus satis loquuntur.

Temperare equidem debebam calamo, & manum de tabulâ avertere, cùm imprudentis sit adversus eos scribere, qui, brachio seculari fulti, possunt proscribere, præsertim tali in loco, ubi omnia possunt: de Voluntate enim, quòd nocere velint, nihil ambigendum. Verum enim verò testor Deum, me nihil dare Affectibus, neque etiam zelo absque scientiâ flagrare, aut, ex conviciandi libidine, huic Ordini dicam scribere: sed Vaticinium à Spiritu S. olim consignatum explico, &, vi *Chronotaxeos* compulsus, alteri nemini has *Locustas* assignare possum, quàm *Jesuitis* eo tempore ortis: quas, si Nobis remittere placuerit, æquo animo feremus, licet id nullâ specie veri facere poteritis, donec Deus & Dies, Termino constituto elapso, Veritati testimonium præbuerint. Agite igitur *Patres Lojolitæ* ponite odia, neque huic calamo insonti, sed potiùs Vobis ipsis irascamini! Non Vos, cum *Jarrigio*, in ferali pegmate constituo: neque Regicidia & Fœdifragia cum aliis exprobro: neque probabilissimum Confusionis omnis & irreligiositatis (liceat in re barbarâ barbaro uti vocabulo) fontem vobis objicio: neq;

fa-

facinora veſtra contumelioſè in medium profero; quin in veſtro Ordine plures Viros Autoritate Eruditioneque inſignes reperiri credo & fateor: Sed, quod ipſi jactatis, & de quo gloriamini, Vos Lumina & Columina Papatûs eſſe aſſero, & proinde veſtris laudibus nihil detraho.

Quia verò iſta Sedes apoſtatica, non Apoſtolica, Spiritui Sancto abominationi eſt; utpotè, à Cœlo ad terram, à rebus ſpiritualibus ad negotia ſecularia, & à prædicatione Evangelii ad Dominatum terrenum delapſa, Vos iſtius Sedis fulcra & ſtabilitores Deo placere non poteſtis: & propterea Piis omnibus, ſub iſtâ hujus inſecti monſtroſâ imagine & picturâ exhibemini ſpectandi, & fugiendi: quarum hypotypoſin jam contemplabimur.

Similes autem dicuntur *Locuſtæ* eſſe *Equis paratis ad prælium*, quo ipſorum libido contendendi, & adverſus Veritatem pugnandi ardor denotatur. *Equus* enim bellicoſum eſt animal, ex deſcriptione *Jobi Cap. XXXIX. v. 22. ad 28. Nunquid præbebis Equo fortitudinem, aut circumdabis collo ejus hinnitum? nunquid ſuſcitabis eum quaſi Locuſtas? gloria narium ejus terror. Terram ungulâ fodit, exultat audacter: in occurſum pergit armatis. Contemnit pavorem, nec cedit gladio. Super ipſum ſonabit pharetra, vibrabit haſta & clypeus. Fervens & fremens ſorbet terram, nec reputat tubæ ſonare clangorem. Ubi audierit buccinam, dicit Vah! procul odoratur bellum, exhortationem ducum, & ululatum exercitûs.* Ejusmodi bellandi promptitudinem ore & calamo, nimirum adversùs Evangelicos, tantum abeſt, ut deprecentur Jeſuitæ, ut potiùs gloriæ ſibi ducant, quando inter anteſignanos promachos reputantur, absque quorum operâ Eccleſia Pontificia vix poſſit defendi.

Et, ſi verum fateri licet, non omninò nihil dicunt hi Patres, dum idipſum ſibi ſuisque technis arrogant: absque enim illorum fucis & offuciis fuiſſet, quibus medicinam fecerunt ægrotanti Papatui, jamdudum animam egiſſet Sedes illa. Dum enim manibus pedibusque, cum haſtâ cum ſcuto, quod ajunt, dies noctesque nituntur, ut Poteſtatem Pontificis Romani ſuper omnia humana divinaque jura extollant, & collapſam ejus Autoritatem ubique terrarum reſtaurent, non omninò nihil faciunt, ſed ſtrenuè adverſus Sanctos Dei præliantes, multum damni Eccleſiæ Orthodoxæ inferunt.

Coronis inſignita oſtentant Capita) Corona aurea Capiti impoſita, Regiæ dignitatis ſymbolum eſt: his Locuſtis autem non *aureæ* Coronæ, ſed *quaſi aureæ*, tribuuntur; quo innuitur, Jeſuitas quidem non eſſe Re-

ges, Regiam tamen exercere poteſtatem, & ubique dominari. Irrepſit enim hoc hominum genus in Aulas Regum & Principum, & mirâ vafritie eò rem deduxit, ut omne Regimen ad illorum nutum inſtituatur hodiè; nec quisquam emergere valeat, niſi qui illos habeat fautores & Patronos. Unde *Barclajus* in ſuo *Euphormione*, ſub nomine *Acigniorum*, in illos ludit, dum dicit, *Eos ſine diademate & ſceptro ubiq; regnare & imperare.* Quin, hoc verum eſſe, quævis Curia Pontificia ſimul ac Evangelica, fatebitur: hæc quidem ob ſæpiùs, ex conſilio Jeſuitarum, fruſtratam fidem; illa, ob extortas, præter voluntatem, Sententias.

Facies habent Hominum) i.e. Chriſtiani videntur eſſe, cùm tamen ſint mancipia Apollyonis, hoc eſt Filii perditionis, & teterrimæ beſtiæ. Homo ſanè Animal rationale eſt, & ad imaginem Dei conditus; ut Vitam æternam ex gratiâ divinâ conſequatur, & Beſtiis omnibus opponitur. Cùm ergò hæ *Locuſtæ facie humanâ* gaudeant, aliquid Chriſtianum, & rationabile denotatur, qualis eſt religioſæ Sanctitatis ſimulatio, Eruditio, & aſtuta rerum ſuarum diſpenſatio, cum inſigni Humanitate conjuncta.

Capillos habent veluti Mulieres,) quæ quidem Capillis pro ornamento utuntur, plurimæque illarum in eum finem eos alunt ac comunt, ut Viros iſtis alliciant, & conſtrictos teneant; unde etiam *Comæ fœmineæ* apud Germanos in proverbium abierunt, de amore irretitis, qui crinibus Mulierum detineri & trahi dicuntur: quod hoc loco nihil aliud ſignificat, quam *Blandiloquentiam & aſſentationem*, quam *D. Paulus Rom.* XVI. *v.* 18. Scandalorum autoribus, qui non *Domino noſtro Jeſu Chriſto, ſed ſuo Ventri ſerviunt, & corda hominum minimè malorum, per blandiloquentiam & aſſentationem ſeducunt*, adſcribit. Jactant enim *Jeſuitæ*, & gloriæ ſibi ducunt, quòd uniuscujusque ingenio & affectibus ſe accommodare noverint; unde apud ipſos proverbium: *Jeſuita omnis Homo.* Hinc etiam blanditiis ſuis & Juventutem, & Principes Viros, & Mulieres etiam, ineſcare ſtudent, & in amorem ac reverentiam ſui pellicere, quò res ſuas immenſum augeant, & Hæreditates ac teſtamentarias donationes aucupentur.

Leoninis Dentibus ſunt armati:) quo ipſorum *Rapacitas* notatur. Leoni enim voracitas, & prædandi ſtudium in S. Literis aſcribitur. *Gen.* XLIX. *v.* 9. *Deuter.* XXXIII. *v.* 21. *Job.* XXXIX. v. 1. *Nunquid capies Leænæ prædam, & animam catulorum ejus implebis, quando cubant in antris, & in ſpecubus inſidiantur. Sirac.* XXVII. *v.* 11. *Leo venationi inſidiatur ſemper.*

Hinc

Hinc *Joel.* I. *v.* 6. Hostibus Israeliticis Leonini dentes attribuuntur, dum Propheta inquit: *Gens ascendit super terram meam fortis & innumerabilis: dentes ejus ut dentes Leonis, & molares ejus, ut catuli Leonis. Posuit vineam meam in desertum, & ficum meam decorticavit: nudans spoliavit eam & projecit, albi facti sunt rami ejus.* Conquesti sunt de ejusmodi Rapinâ jamdudum plures ex Pontificiis, qui Jesuitas avaritiæ & injustitiæ insimulârunt, & quòd reliquorum Ordinum Cœnobia non affectârint saltem, sed multa eorum omninò ad se rapuerint, vel magnâ parte redituum spoliârint. Dum enim Pontifici summo student, sui non obliviscuntur, sed immensas corradunt divitias, & opimis spoliis inhiant, sive id fiat per fas, sive per nefas: quod splendida ipsorum Palatia, & reditus plus, quàm Regii satis attestantur. Fieri enim non potest, ut tantæ Divitiæ, absque injustitia, & citra læsionem aliorum sint collectæ. Quod citius si opus esset, Exemplis edoceri posset, sed nolo procurare invidiam. Hoc saltem dico: citiùs Leoni prædam auferes, quàm Jesuitis id, quod semel arripuerint: unde meritò *leoninis dentibus* præditi dicuntur: ut de *Crudelitate Leoninâ*, quâ igne & ferro in Adversarios suos sævire jubent, nihil addam.

Habent etiam Loricas, ut loricas ferreas.) Placet hîc *Gagnæi Jesuitæ* explicatio, qui per *Loricas ferreas, indurata contra Veritatem, præcordia* intimari autumat. Esto: quis enim his Patribus obstinatior in recipiendâ Veritate? Non Rationes, non Argumenta, non solida Verbi divini Oracula, illos ab errore, & à conceptâ sententiâ dimovere possunt. Unde nuper quidam ex illâ Societate, cùm illi apprecarer Spiritûs S. gratiam, quâ illuminatus Veritati Evangelicæ crederet, nostroque Cœtui conversus jungeretur, subridens mihi respondit: *Jesuitæ non solent.*

Sonitus Alarum ipsarum, ut sonitus curruum, equis multis currentibus ad bellum.) Quid aliud hæc notent, quàm Classicum illud, quod continuo in Hæreticos, h. e. Evangelicos, istæ Cicadæ canunt, cùm docent, eò allaborandum, ut omnes Hæretici, inprimis Lutherani & Calviniani, illorumque fautores, igne, ferro, veneno, bellis, & aliis machinationibus opprimantur, ita ut jamdudum hos socios, ceu publicæ Pacis & quietis turbatores, & Bellorum flabella, perduellionis reos, postulârit Hungaria, Anglia, Gallia, & Germania, ut *strepitus harum alarum* rectè eos deceat.

Sed & habent Caudas, Aculeis armatas instar Scorpionum quibus lædere & affligere possunt.) Per *Caudam Esaias Pseudoprophetas* intelligit, *Cap* IX. *v.* 14. *Propheta docens mendacium ipse est Cauda.*

Notatur ergò, ex Jesuitarum erroneâ Doctrinâ ejusmodi consequentias profluere, quibus, ceu Aculeis venenatis, enormiter læduntur homines; quale est illud: *Hæreticis non esse servandam fidem: Jurata pacta licitè posse frangi: Si commodum Ecclesiæ Papalis flagitet, æquivocationibus & amphiboliâ deludi posse dissentientes:* & hujusmodi farinæ plura in scriptis Jesuitarum ubique obvia. *Martinus Becanus in Disp. de Fide Hæreticis servandâ, Cap.* X. *pag.* 88. *seqq.* expresse scribit: *Libertatem, sive pactionem illam Religionis, quâ liberum permittitur, esse Catholicum, vel Lutheranum, vel Calvinistam, omninò esse* ILLICITAM *& divino præcepto repugnantem; nec aliter, quàm aliquo tempore, majoris damni vitandi causâ, tolerari posse. Imò hæc libertas potiùs* (ait *pag.* 94.) *à Catholicis omnibus modis, quantum commodè fieri potest, impediri & profligari debet. Nullus sit istis Ministeriorum locus: sciant Omnes, etiam si quid speciali Rescripto vel Pacto, ab ejusmodi hominum genere impetratum sit, Non valere.* Agnoscis, opinor, *Lector amice, Aculeos*, quibus Conventiones, Pacta, & Fœdera confodiunt, & omnia humanæ Societatis vincula dissolvunt hæ Cicadæ, adeoque Persecutiones dolosas & insidiosas concitant. Experta est hos *Aculeos* truculentos universa Europa, & præprimis his lethaliter icta gemebunda Bohemia, illique nexu fraterno junctæ Provinciæ Austriacæ, nostraque agonizans Silesia. Ut enim *Scorpius* animal biliosum aculeum ad ictum semper promtum & paratum exerit & motitat; ita plus quam Vatiniamo odio prosequuntur Jesuitæ dissentientes, & quomodo Adversariis suis noxam inferre queant, noctes diesque cogitant.

Hoc tamen notabile est, quod hæ *Locustæ, nec Gramen, nec Viride quicquam, nec Arborem ullam, lædere possunt; sed solos Homines, qui non habent Signum Dei in frontibus suis:*) hoc est, in *Pios & Electos*, qui per *Gramen viride, & Arbores virides* figurantur, (uti habetur II. *Sam.* XI. *v.* 4. *Psal.* LXXII. *v.* 16. *Esa.* XLIV. *v.* 4. *Apocal.* VII. *v.* 3.) nihil habebunt juris. Ergò, *inquies, Evangelici*, quos solummodò lædunt & prosequuntur Jesuitæ non sunt *gramen viride*; sed tales homines, qui non habent Signum Dei in frontibus suis? h.e. non sunt membra veræ Ecclesiæ, seu Fideles & Electi? *Respondeo*: Ithacus hoc velit, & magni mercentur Atridæ! Sed nego *Primùm*, *solos Evangelicos* à Jesuitis lædi: contrarium enim testabuntur *Veneti*, testabitur etiam *Gallia*; ut *Ordines* reliquos, de injuria summâ sibi ab his Ignatii discipulis illatâ conquerentes, silentio prætercam. *Deinde Hieronymi* illud occino: *Non qui inju-*

riam

riam patitur, sed qui injuriam infert, miser est: ut non sine causâ & mysterio factum sit, quòd Spiritus S. tam repentè, quasi solœcissans mutet orationem, & in *Passivo* loquatur, ἀλλ' ἵνα βασανισθῶσι, *datum est eis, non ut occidant eos, sed ut crucientur illi*: quasi dicere voluisset: Fideles & Electos meos occidere volent, sed non poterunt, quod ipsos maximè mordebit, & propterea irrito conatu ringentur & torquebuntur ipsi. Hoc autem quanquam verissimum sit: & iste Cruciatus omninò in Jesuitas quadret: fateor tamen, hoc loco alios esse *Lædentes*, alios *Læsos*; alios cruciatum inferentes, alios cruciatum perferentes; id enim *v. 6.* ubi *propter hos Cruciatus Homines mortem exoptare* dicuntur, evidenter claret. Sunt autem illi tantum Cruciatum perferentes non Fideles & Electi, sed ejusmodi homines, qui in censu Reproborum numerantur, adeoque ad Ecclesiam minimè, nisi temporariâ & hypocriticâ professione doctrinæ pertinent. Quomodo ergò in *Jesuitas* hæ *Locustæ* quadrabunt, *ais*, cùm illi non Impios, sed Pios maximè lædant, eos bonis & facultatibus exuendo, eque dilectâ Patriâ in exilium protrudendo, & multâ injuriâ afficiendo? Veruntamen notandum, quòd per hos *Cruciatus*, non Amissio facultatum & honorum, neque Corporalis aliqua afflictio intelligatur; utpotè quæ caduca Bona ad Electos & fideles, extra quos sunt, nihil pertinent, cùm isti Animum in Cœlis habentes, internâ pace & consolatione Spiritus Sancti, mirum in modum, in mediis etiam Tribulationibus, & inter lacrymas ipsas, gaudeant & lætentur. Sed tormina & morsus *Conscientiæ* tumultuantis hi *ictus venenati* repræsentant; quos Cruciatus duplici hominum generi causantur & efficiunt Jesuitæ: *Primo* illis, quorum operâ, & brachio seculari abutuntur ad opprimendos justos. Inter hos enim plurimi reperiuntur, alioquin Viri boni, sapientes, justitiæ & æquitatis amantes; hos cum sub prætextu Pietatis & Religionis, cogant, contra datam fidem, contra publica Instrumenta, contra æquum & jus, contra Sanguinis vincula, contra Pacta Matrimonialia, contra Statuta & sanctiones, contra Privilegia, & contra Commodum proprium agere, reluctante scientiâ & Conscientiâ, obtemperare necessum habent, & ejusmodi morsus & cruciatus insignes tolerant. Nihil enim Heroico animo gravius est, quam aliquid præter Voluntatem agere: & homo justitiæ amans, cùm aliquid iniqui perpetrare cogitur, acerrimos Conscientiæ stimulos sentit & experitur. Exemplum habes, *Pilatum* intuens, is justitiæ & æquitatis amantissimus fuisse videtur: quàm graviter autem torquebatur, cùm Salvatorem no-

ſtrum nolens volens condemnare cogeretur. Idem certè his alienæ iniquitatis Miniſtris non raró contigit: Exempla, niſi eſſent odioſa, in medium proferri poſſent plurima. *Alterum* genus hominum, qui cruciantur, quorum major præ iſtis datur copia, ſunt omnes illi, qui agnitam Veritatem, vel propter Dignitates, vel divitias, aut alia caduca bona, abnegant & abjurant, & id quidem vel ob metum amittendorum, vel ſpe accipiendorum. Et hi ſunt illi homines, *maximo cruciatu* ab his *Cicadis* afflicti. Cum enim ingruit perſecutio, & alterutrum faciendum eſt, aut abneganda Veritas, aut carendum Bonis temporalibus, maximè anguntur ejusmodi homines, hinc illincque fluctuantes, & modò mori pro Veritate exoptant, modò tàm metu mali, quàm ſpecie boni fracti, & languidi, vincuntur, nuncium Veritati mittentes, cum vehementiſſimo & perpetuo Conſcientiæ motu & perturbatione.. Rectè igitur Spiritus S. hos ipſos negat *Signum Dei habere in frontibus ſuis*: Si enim eſſent fideles & electi, non caduca bona, dignitates, & divitias Veritati præferrent, nec metu malorum fracti ad præcipitia iſta abnegationis deſultarent. Nolo tamen his omnes lapſos adnumerare: dantur enim ad tempus cum Nicodemo meticuloſi, poſteà fortes Athletæ; dantur cum Petro cadentes, ſed etiam cum eodem reſurgentes; dantur in medio Baalitarum conſortio ſeptem millia, os Baal haud oſculantes, nec genu ipſi incurvantes. *Dominus enim novit, qui ſint ſui*. Sed iſtos deliberato conſilio, & reluctante conſcientiâ deficientes, & tandem, vel crebro habitu callum obducentes, vel miſerè deſperantes, notatos volo.

Reſtat, ut *quamdiu* iſtæ Locuſtæ tyrannidem exercituræ ſint, videamus: dabit enim Deus his quoque finem. Aſſignantur autem ipſis *Menſes quinq;*, qui, juxta ſtylum Libri, efficiunt *Annos centum & quinquaginta*: ſingulis enim Menſibus Dies 30. Angelici, i. e. totidem Anni tribuuntur, ut patet ex *Cap*. XI. *v*. 2. *&* 3. inter ſe collatis. Si itaq; *Terminus à quo* Annus eſt quadrageſimus Seculi decimi ſexti, cùm hic *Ordo* primùm à Paulo III. eſt confirmatus, aut quadrageſimus tertius, ubi priori Confirmationi addita limitatio eſt ſublata, & plenior poteſtas his Cicadis evagandi facta, manifeſtum evadit, illas jam ultimum Menſem agere, & proinde Cruciatuum iſtorum finem eſſe in propinquo. *Terminus* enim *ad quem* horum quinque Menſium erit *Annus Æræ Chriſtianæ* 1690. *aut* 1693. Poſſent quidem noxia hæc Animalcula, ſpacio hoc temporis, quod ad nocendum illis supereſt, multum damni dare: ſolatio tamen erit piis, quòd penè defuncta ſit Ecclesia hoc periculoſo

ma-

malo, & quòd instet ipsius finis. Certò enim credendum est, hanc Spiritus Sancti prædictionem statuto tempore iri impletum: neque ambigendum, num etiam verè *Jesuitis* hæ *Locustæ* tribui possint, an verò fallamur interpretando. Ejusmodi enim Secta hoc loco notatur, quæ *tempore Tubicinii quinti* & oriatur, & occidat, postquam 150. annis pessimos cruciatus causata fuerit: talis tamen sit, quæ *Regem & Caput Angelum Abyssi, seu Stellam jam olim de cœlo delapsam* agnoscat: quæ descriptio alteri nemini competit, quàm *Jesuitis*. Agnoscunt quidem illud Caput etiam *reliqui Ordines in Papatu*; sed illi non sunt orti demum sub *Tubicinium quintum*, sed multò prius. *Evangelicis* accommodari nequit: qui etiam tempore Tubicinii quinti prodierunt; sed nec Angelum Abyssi pro capite agnoscunt; nec ostendi potest, quos cruciatus faciant, nec cætera denique congruunt. Et tandem, si Adversariis placet istas *Locustas* Nobis remittere, agè figant *Terminum à quo*, unde isti *menses quinq;* incipiant. Si à Reformatione per Lutherum factâ numerare incipiunt, utique finis illorum mensium in Annum 1667. incidet: aut à promulgatione illâ solenni Augustanæ Confessionis, & tum Annus 80. seculi hujus decimi sexti notabitur. Eligant Adversarii Annum quem velint, nihil extimescimus. Licet enim undique premamur, & vi atq; insidiis concitemur; nihilominus tamen securi sumus, intra tam pauculos annos Dogma Lutheri, ne *in Silesiâ* quidem, (ut totam Germaniam, & reliqua Regna taceā) extingui posse. Exigui sane Temporis mora ad solis mensam exponet, cujus interpretatio verior fuerit, nostrane, an Jesuitarum, & quosnam Eventus, ad quem læti provocamus, sit damnaturus.

Priusquam autem hinc abeamus, *duo* adhuc ponderanda veniunt; *primum*, Quare Spiritui S. placuerit peculiari Visione, sub imagine *Locustarum, Jesuitarum Ordinem* depingere; cùm tamen reliqui Pontificii nihilo sint mitiores in Ecclesiam, sed idem & doceant, & faciant? *Alterum*, quid de illis Locustis, post effluxos quinque menses, sit futurum? Ad *primum* Respondeo: Vult Spiritus Sanctus Persecutionem hoc tempore perpetiendam, ejusque qualitatem, quòd futura sit lenta & insidiosa, describere; necessum itaque habuit, primarios istius Autores depingere, simulque quantitatem, sive durationem istius mali assignare. Sub initium enim Reformationis Evangelicæ ferro & igne sævitium est in Confessores Veritatis, teste Belgio & Galliâ: verùm nihil, aut parùm eo modo effectum est, sed Sanguine rigata Ecclesia lætior germinavit, & uberiores dedit profectus; donec Jesuitæ, illorumque discipuli, rem aliâ aggrederentur viâ, non occidendo, sed depauperando, & media Salutis subtrahendo, ac lentâ coactione homines excruciando;

qui-

quibus actibus id effectum est, ut plures Provinciæ ad obsequium Romani Pontificiis redirent: Lætius enim mortem oppetiissent, & sanguine profuso Veritati litassent, quàm ejusmodi lentis miseriis mactari voluissent. Unde notanter dicitur; *datum est eis, non ut occidant, sed ut crucientur illi per quinq; menses*: & mox: *itaque per eos dies homines quærent mortem, sed non invenient eam; & desiderabunt mori, sed fugiet mors ab eis.* Testantur Exempla in hac nostrâ Silesiâ, & viciná Bohemiâ, plures fuisse, qui intrepido animo Mortem sustinuissent, adeòque læti sanguinem ob Veritatem profudissent, modò volupe fuisset Persecutoribus illum effundere; lentis tamen miseriis excruciati, tandem defecerunt. Ut ita hæc *insidiosa Persecutio* plus damni inferat Ecclesiæ, quàm truculenta aliqua & sanguinaria. Cùm autem istius autores præcipui sint *Jesuitæ*, illorumq; discipuli, suis coloribus depingendi erant.

Alterum quod attinet, quid nimirum futurum sit de istis Locustis, tempore assignato effluxo? Fateor me nescire: tantum enim scire possum, quantum hîc Spiritus S. revelavit; quod verò tacet, lubens ignorare possum. *Quinque Menses*, nec ultra eos, nocituros esse, consignavit Johannes: id ego firmiter credo, & presse Numerum illum retinendum esse autumo, utpote in solatium Ecclesiæ patientis revelatum: Quomodo autem perituræ sint hæ Locustæ, non consignavit, sed tacuit; nisi quantum ex aliis Visionibus synchronis colligere valeamus. Incidit in finem fermè hujus Periodi quintæ, *Angelus primæ Phialæ* effundens Iram Dei super terram, quâ effusione *Ulcus admodum malignum* hominibus Bestiam adorantibus, ejusque characterem Nominis habentibus, infligitur: de quo *alibi* agemus. Præsens etiam tempus analogiam habet cum tempore Eliæ & Elisæ: caveant isti Persecutores, ne quis *Jehu*, aut *Hiskias*, aut *Josias* oriatur, qui pœnâ talionis eos afficiat. *Locustas Ægyptiacas* Ventus Occidentalis projecit in Mare rubrum, *Exod* X. *v.* 19. Exoptarem ego, ut hæ nostræ *mysticæ Locustæ* Vento Verbi divini afflati, Veritatem, quam hactenus persecutæ sunt, reciperent: sed vereor, ne Cor habeant nimis induratum, ut alio Vento, qualis describitur *Esa* XXVII. *v.* 8. & Jerem. XVIII. *v.* 17. opus sit. *Et tantum etiam de odiosâ hac materiâ.*

Pertinent quidem ad hanc *Quintam Periodum* etiam aliæ *particulæ Visionum*, ut & tota *Phiala prima*, & *pars* etiam *Secundæ*: quia verò de istis *alio* agemus *loco*, ubi quò singula pertinebunt, ex *Chronotaxi* demonstrabitur, & judicari poterit, hac vice hisce

Concludimus.

F I N I S.

INDEX
DICTORUM BIBLICORUM.

XI.

II.

INDEX RERUM ET VERBORUM.

secun-

ex

Re-

Apo-

FINIS.

DUÆ PARTES APOCALYPSEOS.



Explanatæ per Reveren:
P. HENRICUM KIRCHER
Societatis JESU Theologum.

COLONIÆ, AGRIPPINÆ APUD PETRUM ALSTORFF ANNO MDCLXXVI.